

8-3-7-

600

Dec 15 85

Prin 1450

五

六

Fridomio Fao de Alorat. F.C.
DVARDI NONII
LEONIS IVRISCONSULTI
LVSITANI CENSVRÆ IN LIBEL.
LVM DE REGVM PORTVGALIE
ORIGINE, QVI FRATRIS IOSEPHI
TEIXERÆ NOMINE CIRCVM-
FERTVR.

Item de vera Regum Portugaliæ Ge-
nealogia liber.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM ALBERTVM
ARCHIDVCEM AVSTRIÆ, S. R. E.
CARDINALEM.

3

Fran^{do} de Miranda e Lasc. D^r

OLISIPONE,
Ex officina Antonij Riparij
Typographi Regij.
ANNO MDLXXXV.



EGO R. Bartholomæus Ferreira sacrae Theologie Magister,
& sanctæ Inquisitionis Olisiponensis Deputatus, ac lib-
rum Censor, mandato Supremi Senatus S. generalis Inqui-
sitionis, examinari hos duos libros per Duardum Nonium lu-
risconsultum eruditissimū concinnatos. In quibus nihil est (mea
sententia) quod vel bonos mores, vel Christianam pietatem offen-
dat. Imo omnia sapiunt virum pius & doctum. Tituli autem
eorum librorum sunt vnius: *Censura in libellum fratris Iosephi*
Teixeræ: alterius: Liber de vera Regum Portugalie genealogia.
Quos imprimendos censeo. ij. die Maij, M D LXXXV.

F. Bartholomæus
Ferreira.

VISTA a informação, pode-se imprimir. E despois de im-
presso tornará a esta mesa para se conferir com o original:
& se lhe dar licença para correr. Em Lisboa vij. de Mayo
de M D LXXXV.

Paulo A.
fonso.

Iofge Sar-
rão.

Antonio de
Mendoça.

SERENISSIMO PRINCIPI

ALBERTO ARCHIDVCI AVSTRIÆ

S.R.E. CARDINALI, DVARDVS NONIUS LEO

IURISCONSULTVS LVSITANVS

S. D.



VM vitæ meæ rationes ita instituerim,
Princeps Serenissime, vt tam oty, quam
negotij rationem mihi reddendam existi-
marem, & negotij mihi rationem probè
iam constare, tam apud Principes meos,
qui in apud Repuplicam arbitrarer, oty eti. in, si quādo
daretur, rationem constare volui. Cum igitur pestilentia
morbo grassante, ab hinc quinquennium mihi exulandion
ab urbe esset, nec meorum librorum supollectilem mecum
ferre licuisset, Portugaliæ Regum vitas, quas in eo exilio
naclus su n, perlegi. In quibus ego docti alicuius viri ma-
nus & censuram iamdiu desiderabam, quod temporion
ruditate, qua conscriptæ sunt, multa perperam, nonnulla
non verè, alia dicta essent extra rem: qualia multa in
omnium ferè nationum annalibus reperiuntur: ut nullibi
frequentius, & impuniū peccatur, quam in historijs. Cœpi
ita j, nonnulla notare, quæ temporum rationi, & Regni
monumentis repugnabant: superflua etiam obelis expun-
gere: alia scitu digna, que occurrebant, addere. Cum verò
ea numero creuissent, id quod ludens, & animi recreandi
causa coeporam, serio mihi agendum, & ad umbilicū perdu-

cendum putauī, magnoq; & continuato labore, ita perfeci,
vt doctis nō nullis digna ea nostra visa sint, quæ lucē expe-
rirentur. Dum itaq; fœtum meum parturio, & iam de edi-
tione cogito, Clarissimus vir Ioānes à Sylua Comes Portale
grensis, cui animi mei propositum aperueram, arborē mihi
ostendit Iosephi cuinsdam Teixeræ Lusitanī monachi, Lu-
tetiae Parisiorum excusam, Regum Portugaliæ stemmata
continētem. In qua cum pleraq; reperijssem cū scriptis meis
è diametro pugnantia, ad quæ respōdere videbar prouocari,
ecce libellus ipsius Iosephi nomine editus, Lutetiae etiam
excusus, miris deliriorum portētis scatens, mihi offertur:
& ita alter labor iniunctus, Augiæ scilicet bouile (quod di-
citur) repurgandū. Anceps eram quid agerem. Hinc enim
authoris obscuritas, & imperitia me à respōdendo retrahē-
bat: ne responsione mea, dignus ille fieret, qui vinceretur.
Alia ex parte, cum illa non tam contra scripta mea, quam
contra patriam pugnarent, non sūi, apud me plus valere
existimationis meæ, quam publicæ utilitatis rationē: & cum
tali concertatore in certamen descendere, non erubui: si eme-
dare, & admonere errātem, certamen est, & non beneficiū.
Verebar enim, ne ille Gallos homines nostrarū rerum igna-
ros, quos circūducere satagebat, in errorem traheret, & fal-
sas inter illos fereret opiniones. Cum enim nulla natio sit,
que proprios non habeat amiales, ea forma, qua omnibus
vulgati sint & noti, Lusitanorum qui rerū gestarū gloria,
non cum præsentibus quibusuis, sed cum Graecorū & Ro-

manorū laudatissimis illis certare possint, omnia ferè gesta
muta sunt, & nescio Principum incuria, an scriptorum pe-
nuria, in profundissimis puteis demersa: atque in privato
paucorū vīsu, quod publicū & notum omnibus fieri debuit.
Quò maiora igitur ille habuit ad fallendū administracula, cò
magis mei officij putauī, nonnulla impugnare, & illius reo-
nenatæ arboris imposturā detegere, antequām altiores ra-
dices ageret. Hanc igitur cēsuram, & veram Regum Por-
tugaliæ genealogiam, nemo erat, cui potiori iure dicarem,
quām tibi Princeps humanissime. Nam si in consecrādis
ingenij monimētis, authores eos semper quæsiuere patronos,
qui nobilitate, authoritate, aut eruditione præstarent, quò
tuti à calūniatoribus essent, hæc in te ita simul conspirāt,
vt quod cui antecellat, dubiū sit. Nobilitas enim tua, qua
omnes tui gradus Principes excellitis, non ob id solum summa
est, quòd Maximiliani Cæsarī, & Mariæ Augustæ filius sis,
Caroli etiam Quinti, & Fernandi Imperatorum nepos, & à
tot Imperatoribus, & magnis Reginis prognatus, quoniam &
hoc vt fortunæ bonū alijs, qui tui dissimilis esset, poterat cō-
tingere: sed quòd Imperio dignus videaris, & virtutū regnū
tencas. Quarū si tātum non præbuisses specimen in omni-
bus tue adolescētiae actionibus, & senili ista iuuentute, ma-
ximū argumentū tuorū morum, iudicij, & prudentiæ esset,
quòd Philippus aūculus tuus, Regū omnī cordatissimus,
florētissimo Lusitanorū Imperio, quod non per Europam
modo, sed per Africam, & Assiam tam latè extēditur, &
cui

cui tot Reges colla submittunt, te vnu moderatoř elegit.
Cuius iu liciū, ne videretur amare labi, opportunè cōfirmā-
uit Gregorius XIII. Pontifex Mix. vir sapietissimus, qui
te in purpatorū patrū collegiū cooptatū, florēti ista etate,
legatum Sedis Apostolice in codē Imperio cōstituit. Ex
quo quāta tua sit apud omnes authoritas, manifestò appa-
ret. Literarū aut̄ humanař studia, philosophiae, theologie,
& matheſeos, quāta cura & aſſiduitate, à puerō fueris amo-
plexus, multa tui ingenij ſpecimina teſtātur, & fauor, quo
literatos homines proſequeris. Non ingrata igitur tibi fore
putauit lucubratiuncula hinc, tum quod de Regibus proge-
nitoribus tuis agat, tum quod nōnulla circa eorū originem
ā me referūtur, que diligētes alioqui in historia viros feſel-
lerūt. Hoc verò alacrius cōfidimus, quod te historiarū le-
ctione ſcimus detineri, qua nihil iucundius, nihil utilius, &
Principibus viris, qui Reipub. gubernaculis alnoti ſunt,
mig's neceſſariū. Cum enim ita natura cōparatum fit, ut
hū mani caſus, veluti in orbē, ſui ſimiles ſepe reccurrant, &
ex præteritis preſentia atq; etiā futura debcamus cestimare,
& prieu liciū ad actiones noſtras inde facere, tāto huic
Lufitan.e Reipub. res tractabis dexterius, quod maiore no-
titii eoru'n habueris, que Reges illi maiores tui, tam pace,
quā in bello egerūt. Vt enim periti medici non ijsdē remedij
ubiq; vtūtur, ſolij, que regionis mores, & natura exponunt,
ita Republicae exēplis domesticis, non aliude petitis
governari debet. Vale Principū decus, & me in
tutelam tuam fuſcipe.

D V A R D V S N O N I V S L E O
I N G E N V I S L E C T O R I B V S.

S.

 VÆ R E S mihi exoptanda erat, dum in hunc Iosephi Teixeræ libellum Censuram paro, casu ipso oblata est. Cum enim mecum ipse cogitarem, quām inter se pugnantia, & à Lusitanorum hiltorijs aliena, à Lusitano hoc Iosepho diuulgarentur, & causam mihi constare cuperē, iustum in hac vrbe, à sui ordinis Præfule in vinculis asseruari, resciumus. Quo enim tempore Aluarus Bazanus Sanctæ Crucis Maichio, celebrem victoriam illam, de Philippo Strozo & Gallorum clasticis, ad Insulam S. Michaelis obtinuit, is inter alios Strozi milites captus, & in Portugaliam adductus est. In illo tamen clementissimi Regis PHILIPPI (qua est pietate & religione) suis traditus illatus, licet perduellionis reus esset conuictus. Auidus igitur hominem conueniendi, ut tantæ impudentiæ causas inquirerem, impetrata à Præfule suo venia, quod in publicum Regni statutum tam falsa edidisset, rem omnem ab eo dīcī. Sacramento enim adactus affirmauit, corā eodem suo antistite, se ut prorsus ignarum ea non scripsisse solum, sed multarum manuum illud fuisse opus. Arboris enim fabrica culpam, ad fratrem Stephanum quēdam Lusignanum, natione Cyprium, instituti Dominicanī, transferebat, qui huiusmodi arboribus Remmatum componendis Lutetiae operam dabant. Alios etiam criminis socios nominabat, à quibus se subornatum dicebat, ut nomen suum libello insereret. Quod verò theologiæ professorem se dicit, qui theologiam ne à limine salutauit, concionatorem qui infantissimus sit, choragos quosdam Antonij studiosos, eam illi personam induisse dicebat, quod fabulam vei similius agerent: & Gallis, apud quos suam causam probatam volebant, facilius imponerent. Credebant enim, de Lusitanorum rebus, melius extens perihaderi posse, ab homine natione Lusitano, professione theologo, ordine sacerdote & monacho, officio concionatore. Sed Deus bone quām ineptum fabulae quæsiuere archiectum! qui personam indutam sustinere

non

non potuit. Dum enim in militiam pergit, factus scilicet ex sa-
cerdote gladiator, omnem technam ad nos allatus prodidit: ut
qui remeare in Galliam non sperabat. Quó tamen ruptis com-
pedibus, breui euolauit, ad nos iterum (ut ille motoriam semper
agit fabulam) fortasse redditurus. Hæc vos de opere, & de autho-
re scire volui tanquam fabulæ argumentum, ut inde æstimetis,
qua fide, qua vetecundia, qua etiam vita (quod in authoribus
solet requiri) author ille noster sit. Vos tamen infania illius
fruimini: & lucubratiunculam hanc, in qua multa non
vulgaria, ab alijs prætermissa, aut ignorata tradimus,
Iosephi huius impudentiae & inscitiaz
debere fatemini.

Valete.

S E D V A R D I N Q N I I
L E O N I S I V R I S C O N S V L T I
C E N S V R E I N F R A T R I S I O S E P H I
T E I X E R E I L I B E L L V M D E
R E G V M P O R T V G A L I A
O R I G I N E .



T NVLLA R E S E S T ,
tum ad Rempub. gubernandam,
tum ad vitam recte instituendam
utilior, quam historiarum notitia,
ita nulla nocentior est, quam si haec
corrumpantur, & falsae pro veris,
& genuinis posteritati mandentur. Quemadmo-
dum enim via error in diuersa, quam expeditat
loca nos dicit, non secus ficti rerum humanarum
casus, & exitus, qui nobis obijciuntur, sensum
conturbant, & in præposteras nos traducunt opi-
niones. Vnde non minori supplicio mihi semper
digni visi sunt, qui historias adulterant, quam
qui numeros falso cudunt, aut fontem publicitus
scatentem, vnde omnes hauriunt, letali veneno
inficiunt. Nullos rufus de Repub. magis bene-

A me.

CENSURE

mereri existimo, quām qui ex historijs ita errores sustulerunt, ne alij per imperitiam laberentur. Quid enim aliud est, iuxta naturalis iuris præcepta, erranti viam monstrare? Quid aliud cadenti manū porrigere? Hoc verò non in historijs modo, in quibus maius periculum erat, sed in alijs disciplinis optimos & graues viros fecisse, legimus. Quorum factum non reprehensione, sed laude dignum habitum est. Cum igitur famosus hic Iosephi Teixeræ libellus ad nos peruenisset, in quo non in patriam modò, contra quam arma sumpsit, & armatos concitauit, sed in ipsa numina etiam debacchatus esset, & meras calumnias, & mendacia pro historijs, & veris traditionibus effundisset, nemini potiori iure, quām mihi incumbere responsionem sum arbitratus, qui ex diametro pugnantia literis mandasse. Nec enim me, qui ab omni ambitione alienissimus semper fuerim, eo animo Censoris officium auicupari voluisse, ut aliquid inde laudis reportarem, credere par est, cùm in tam obscurum & imperitum authorem scribendo, verendum mihi magis esset, ne existimationis meæ (si qua est) facerem iacturam. Cum tamen in patriam falsæ illæ Iosephi narrationes tendereint, non potui non commoueri, atq; etiam non

non excandescere. Humani enim animi cum no-
uitatis studio, à naturali quadam propensione te-
neantur, & interdum eius specie illecti, non satis
quod obiectum est attentes, vana pro veris,
pro solidis inania amplexentur, periculum erat,
ne inter exterros homines nostrarum rerum impe-
ritos, nugatoris huius figmenta latius ferperent.
Mea etiam interesse arbitratus sum, ne libris meis,
quos de Regum Lusitanorum vitis propediem,
Deo auspice, in lucem editurus sum, præjudicium
fieret, præoccupatis his erroribus lectorum animis.
Hosigitur commonefaciendos putauit, ut tāquam
iudices æquos, & neutri parti fauentes, ad legen-
dum, & iudicandum nostra præpararem. Errata
autem omnia, & ineptias huius authoris non su-
mus prosecuti (longum enim id esset) sed ea tan-
tum, quæ historiæ nostræ rationibus aduersari vi-
debantur. Maledicta etiam & conuicia omisimus,
quòd illa laqueo magis, quam calamo erant vine-
dicanda. Sed iam præudentem illum audiamus.

Egregium enim hoc opus in præludia diuisit
& tractatum, ne scilicet illotis
manibus, rem tantam
aggrederetur.

CENSURÆ
IN PRÆLVDIO.

ANNO Ducentesimo Nonagesimo, ante aduentum Domini, Gallos Celtas & Braccatos in Hispaniam esse profectos, historiarum monumentis proditum est, à quibus primum Interamnis provincia occupata est, ubi conditis à se ciuitatibus, tum Portugalie (quippe quæ Gallis portus cuiusdam, & perfugij instar erat) tum Braccaræ, ab ipsis met Gallis Braccatis, nomen imposuere.

CENSURA PRIMA.



O Csumpsit ex Ioanne Vassæo, eo tantum mutato, quod quæ ille sub dubio reliquit, hic impudenter affirmat, assuens aliquid ex Floriano Campensi, more interpolatorū. Portugalizè verò nomen nihil commune habere cum Gallis, certum est. A Portu enim & Caledictum esse, eruditorum omnium est opinio. Erat quippe Cale oppidū antiquissimū ad Durij ostiū. Id cū esset in colle situm, qui flumini imminebat, nec piscatoribus, quibus præcipue incolebatur, & ijs, qui in mari

mari versabantur, facilem haberet seruitutem, pliori in loco, in ripa scilicet, quam illi Portum vocabant, cœpit habitari. Cum autem paulatim creuisset, & in ciuitatis dignitatem deuenisset, Portus Calis, & inde Portuale, & Portugalia (affines enim sunt præcipue apud nos c. & g.) cœpit appellari. Inde eius ciuitatis Episcopus, Portucalensis in antiquis Concilijs nominabatur. Diffusum est postea hoc ad Bracharos Gallicæ partem, qui Portucalenses item dicti sunt. Procedenti verò tempore, etiam ultra Diœcœsim deriuatum in proximas ciuitates. Vnde dubij vitadi causa, Episcopus, qui antea Portucalensis dicebatur, Portuensis dici cœpit. Hoc testantur Eduardus Galbanus, qui Alfonsi. I. Regis Portugaliæ vitam scripsit, & Andreas Resendius Lusitanarum antiquitatum maximus indagator, in epistola ad Bartholomœum Kebedium, Hieronymus Osorius Episcopus Syluensis, in vita Emmanuelis Regis, & Iacobus Menetius Vasconcellus, tam omnium literarū, quam iuris scientissimus, & in carmine cum veteribus illis comparandus, in commentarijs de antiquitatibus Lusitanicæ. Cuius rei authorem habent Imperatorem Antoninum, qui Cale oppidum in ea collocat parte. Habent & concilia Toletana,

in

CENS V RÆ

in quibus de Episcopis Portucalensibus fit mentio.

IN teramnis prouincia priuatimi Portugalicæ ciuitati nomen sibi iure communiori vendicans, verè vnica & antiqua propriæ Portugalicæ appellatione audijt, ab anno CCXC. ante aduentum Domini ad eius nativitatis annum MC XXXIX. Tunc enim Alfonsus Henricus Portugalicæ Dux, ab exercitu suo Rex Portugalicæ salutatus, Lusitaniæ vocem in Portugalicæ appellationem, alioqui impropriam, commutauit.

CENS VRA II.

HOC etiam falsum est. Portucalensis enim ciuitatis mentio, Romanorum tempore, à nemine facta est, & ipsa ratio nominis indicat, vigente iam barbarie cœpisse, hoc est, in vltimis Romanorum temporibus, aut primis Gothorum. Hoc confirmat Antonini Cæsaris mentio de Cale, non de Portucalia, cuius imperium cœpit a uno à Christo nato CXXXVII. non XL. aut XLI. ut historici trādiunt. Quod ex plurimis Ptolemæi septem errantium syderum obseruationibus, sub tempore Adriani & Antonini, eruditissimus theologus, & mathematicus, Iosephus Sobrinus Serenissimi Principis Alberti Cardinalis Legati cappellanus

nus & signifer optimè collegit. Quæ enim historici tradunt ab illis Ptolemæi obseruatis, discrepant. Et ab Antonini tempore usque ad Gothorum regnum, de Portucalia nullam mentionem fieri vidimus. Nihil verò credimus, antiquius de ea urbe posse reperiri, quām quod regnante Flauio Ricaredo Gothorum Rege, legimus tertio cōcilio Toletano, quod maximo Episcoporum conuentu celebratum est anno D LXXXIX. interfuisle Constantium Episcopum Portucalensem, & Argioe uitrum postea eiusdem ciuitatis Episcopum, qui Constantio videtur suffectus, durante concilio, quod in eo fortè mortuus sit. Et concilio quarto, quod Sisenandi Regis tempore Toleti coactum est, anno, secundum Ambrosij Moralis computationem D C XXXIIII. aut secundum Vasæum, D C XXXIII. interfuit Ansiulfus Portucalensis.

CENSURA III.

IN eo etiam quod ait, ante annū M C XXXIX. quo Alfonsus Henricus Rex salutatus est, solum ciuitati Portucalensi, & prouinciæ Interamni, Portugaliæ nomen competitissæ, & non ei Lusitanicæ parti, quæ est ultra Durium, errat toto cælo, & si bi

CENSURE

bi ipsi repugnat. Contrarium enim affirmat inferius in Alfonsi. I. elogio. A ciuitate enim in provinciam Interamnem diffusum est Portugaliæ non men (ut dictum est) & ab Interamni, in ciuitates ultra Durium à Sarracenis recuperatas, hoc est, Conimbricam, Lamecā, Vilēum, quæ pars Lusitaniæ sunt. Quicquid enim Reges Legionēses ultra Durium, hoc est, in Lusitania à Sarracenis vindicabant, id Portugaliæ Interamni accrescebat nomine, ut etiā dominio. Vnde Garsias, qui Rex Galliciæ à patre Fernando institutus est, Portugaliæ item Rex dicebatur, propter eas Lusitaniæ ciuitates. Henrico etiam Alfonsi. I. Regis patri, cui Alfonsus. VI. Castellæ & Legionis filiam Tarasiam vxorem collocauit, Portugaliæ Comitatum nomine dotis dedit, cuius caput per ea tempora erat, non Portuensis ciuitas, sed Conimbrica, quæ Lusitaniæ provinciæ est, ut hic vanissimus homo inferius fatur, & apud nos notissimum est, tam ex Portugaliæ, & Castellæ annalibus, quam ex publicis monumentis. Quorum multa possemus afferre exempla, sed uno tantum ex innumeris, quæ in Regio vidimus archiuo, satisfecisse videbimur.

EGO Alfonsus diuina prouidentia Portugaliæ Princeps,
magui Imperatoris Alfonsi nepos, Comitis D. Henrici,

prom.

Reginæ Tarasie filius, nulla necessitate compulsus, sed prompta ac benevolia voluntate, & diuino amore commotus, ecclesiæ Sanctæ Crucis, atq; fratribus ibidem conorantibus, facio cautum ad illam nostram Eremitam Sancti Romani, sicut iuxta castrum Senæ, &c. Era M.C.LXXXVj. Subsignatio autem ita erat. Ego Alfonſus Portugaliæ Princeps.

IN ELOGIO COMITIS HENRICI.

EVstachius Comes Bononie huius nominis II. En*v*stachij. I. filius uxorem duxit Idam, Godoffredi III. Gibberi Ducis Lotharingiæ filiam.

CENSURA IIII.

QUÆ præcesserunt sunt præludia, nunc quod felix, faustumq; sit, incipit tractatus. Et h̄c etiam noster stemmatographus in ipso portu impegit. Ida enim non filia, sed soror fuit Godofredi Gibberi. Godoffredus quippe Barbatus cognomento, tam Godoffredi Gibberi, quam Idæ pater fuit. Gibber tamen quod liberos non haberet, Godoffredum Bullonium nepotem ex sorore Ida adoptauit, eiq; Lotharingiæ ducatum, & Bul-

B lonij

CENSVRÆ

lonij Dynastiam reliquit. Cuius rei authores sunt Paul. Aemylius, Guillelmus Archiepiscopus Tyri, Ioannes Nauclerus, & omnes Galli historici quotquot sunt. Lotharingi autem scriptores, quibus de suis rebus maior fides videtur adhibenda, in hoc ab eis dissentunt, qui Godoffredo Bullonio du-
catum non adoptione auunculi, sed hæreditate
matri obuenisse contendunt. Idam enim fratri
Gibbero successisse dicunt, & Bullonium matri.
Quorum sententiæ adstipulantur fragmēta histo-
riæ Raimberti Episcopi Vrdunensis, de Vitis Du-
cum Lotharingiæ Verduni reperta, de quibus Frā-
ciscus Rosierius in Stemmatibus Lotharingiæ, ubi
hæc de Godoffredo Gibbero:

VIR prudens, atque fidelis, omnibus amabilis, cum flore-
re inciperet, suorum dolo vita priatur, nihil liberorum
ex uxore sua D. Mathilde filia Domini Bonifacij Lucen-
sis Hetrusci Cominarchi relinquens. Quo mortuo, Lothao-
ringie luctus factus est magnus, à Cæsareq; multum repu-
tatus est. Sepultus autem fuit in aede beatæ Mariæ iuxta
portam, anno Domini M L XXVIII. Sui vero Duca-
tus in manus Idæ sororis suæ, uxoris D. Eustachij Comitis
Bononiensis supra mare venerunt, que viro suo generos-
jam prolem gensit, quatuor videlicet mares, Eustachium
Comitem, Godoffi elum inchyrum, Baldum, Guillel-
mum

ium, ac duas fæmellas sacras virgines, Idam atque Mathilde, ut ipse multoties audiui à patre meo atque prædecessore Richardo, qui multum charus erat Domino Godofredo Bullonio. Hæc Raimbertus. Ex quibus etiam patet, Idam sororem, non filiam fuisse Godoffredi Gibberi.

Habuit Godoffredum Comitem Bononiæ, & ratione matris, Lotharingiæ Ducem.

CENSURA V.

Hoc est falsum. Comitatus quippe Bononiæ ad Godoffredum non peruenit, nec ad Baldwinum, qui superstite adhuc patre Eustachio decesserunt. Eustachio autem seniori Eustachius filius successit. Quod etiam ex præfigo constat matris Idæ, de quo Guillelmus Archiepiscopus Tyri lib. ix. de bello sacro, cap. vj. Bullonij autem fuit Comes, aut secundum alios Dux, ea ratione, qua & Lotharingiæ. Est autem Bullonium, oppidū Ducatus nunc Lucemburgensis, olim vero caput Comitatus, seu Ducatus, quod tempore expeditionis Syriacæ, Godoffredus Sperto Episcopo Leodiensi vendidit, ad belli sacri sumptus, maiori gloria, vt tunc dicebant, venditoris, quam emptoris. Vnde

Episcopi Leodienses Duccs Bullonienses appellantur hodie. Hoc tam notum est, ut testimonijs non indigat.

ET Balduinum Edeffanum Comitem, & Godofredi fratris in Ducatu, ac Regno Hierusalem successorem.

CENSURA VI.

DElirat hic Iosephus. Mortuo namq; Godofredo Bullonio Rege, Ducatus Lotharingiae ad Imperatorem Henricum III. deuolutus est, incertum iure ne imperij an alio, & illum Henrico Lemburgensi concessit, qui ipsius Henrici partes sequebatur aduersus filium Henricum, quem postea Henricus ipse V. rerum potitus, Ducatu Lotharingiae spoliauit, eumq; Godofredo cognomato Barbato Comiti Louaniensi obtulit, ut tradit Iacobus Meyerus rerum Flandricarum scriptor diligentissimus. Ludouicus verò Guicciardinus in descriptione Germaniae inferioris, non totum Ducatum cessisse Comiti Louaniensi, sed Lotharingiae partem inferiorem, Brabantiam scilicet: superiorem autem Theodorico Godoffredi Bullonij nepoti, quæ nunc Lotharingiae Dynastia est in domi-

minio Vadamontanorum. Hunc autem Theodoricum, dicunt illi, fuisse patrē Guillelmi Iainuillæ Baronis, cuius filium falsò asserūt, esse Henricum Comitem Portugaliæ.

Habuit & Guillelmum Baronem Iainuille, qui vicario fratum Godoffredi, & Balduini iure, gubernaculo Lotharingiæ præfuit, Ducatusq; non Regni hereditatem adiit.

CENSURA VII.

Et hoc falsum esse, ex superioribus constat. Ostendimus enim, mortuo Rege Godofredo, Imperatori Henrico accessisse Lotharingiæ Dynastiam, eiusq; beneficio ad alias transiisse. Nec enim iure ad Guillelmum deferri poterat, quem præcedebat Eustachius maior ætate, qui superstes fuit Balduino fratri. Eum enim maior procerum pars ad Hierosolymitanum regnum vocabat, spretu Balduino Burgeni, qui non legitimè electus dicebatur. Quod ille, seditionum vitandarum causa, recusauit, illud addens: nolle se in eo Regno belli occasionem præbere, in quo Christus mundi assertor pro pace humani generis sanguinem propriū effuderat. Nec dicendum est, Eustachium sine liberis.

CENSURA

beris decessisse, qui Mathildem reliquit nuptam Stephano Comiti Blesensi, qui postea Rex fuit Angliae, ex quo Bononienses Comites processerunt, ut suo loco latius dicemus.

Guillelmus uxorem duxit Gertrudem, Arnulphi Comes Lucensis filiam, ex qua illi editi sunt liberi Theodoricus successor, Henricus Comes de Lemburg, a quo Portugalie Reges originem ducunt. Et paulò post. Anno M L XXXVIII. Henricus Comes de Lemburg in Portugaliam appulit, maxima equitum Gallorum cetera stipatus, in quibus præ ceteris, imminebant Raymundo Burgundus, Guillelmi Burgundiae Comitis filius, & Raymundo Comes Tolosæ & Sancti Aegidi, qui ipius Comitis de Lemburg annulus fuit.

CENSURA VIII.

ERRAT hic multipliciter ut enim ē centonia bus, & multorum plumis, suam hanc egregiā rhapsodiam concinnauit, tam malè coharent inter se, quæ narrat, quam varij sunt authores ex quibus transcripsit. Id præsertim, quod ab Vuolfango Lazio sumpsit, homine rerum Germanicarum nescio quam perito, nostrarum certe imperitissimo,

mo, ut qui aliena fide scripsit non sua. Henricum igitur Comitem Portugaliæ non fuisse illum Lem burgensem, quem illi volūt manifestissimè liquet, subducta temporis ratione, quæ præcipuum historiæ fundamentum est. Per ea enim tempora, quibus Henricus noster Portugaliæ Comes in Hispania degebat, filios procreabat, socero in liberanda Hispania à Sarracenorū tyrannide opem ferebat, & Comitatus sui terminos dilatabat, Lemburgensis ille Henricus Imperatoris Henrici III. propinquus, in Germania magnis bellorum fluctibus iactabatur. Vigebat enim per id tempus bellum ciuile, inter illum Henricum Cæsarem IIII. & Henricum filium, quo, Lemburgensis senioris Hērici partes secutus, se implicuit. In cuius beneficij gratiam, Henricus eum Ducem Lotharingiæ in locum Godoffredi Regis Hierosolymitanî vita functi suffecit, anno M C. ut iam diximus. Quem postea Henricus V. Imperium adeptus anno M C VI. Ducatu priuat. Hunc eundem Hēticum postea anno M C LXXII. tradit Remaclus, creatum fuisse Comitem Lemburgensem ab Imperatore Federico. I. Hunc etiam tradunt multi, sine liberis decessisse, quorum recentissimus est Ponatus Euterius Delphius, in historia Burgūdicarum

rerum, in genealogia Brabantica. Et notissimum est, Henricum Comitem Portugaliæ liberos reliquisse, & patrem fuisse Alfonsi. I. Regis. Præterea ex temporum supputatione, magis apparet illum fuisse coætaneum Alfonsi Regis, quam patris Hérici. Nam Portugaliæ Comes ab anno M LXXXIX. quo in Hispaniam appulit, semper in ea cōmora-tus est, ut qui vxorem ibi duxit, & Dynastiam Pōr-tugaliæ habebat, & qui anno M X C IIII filium sustulit Alfonsum præter alios: & anno M C XII. vita functus est, cum XXI. annis Comitatu potius esset. Ex quibus planè constat, alium fuisse Henricum Comitem Portugaliæ, alium Henricū Comitem Lemburgensem.

Huc accedunt certissimæ conjecturæ, quæ cum veritate nitantur, per se maximè congruunt. Si enim Guillelmus Iainuillæ Baro minimus erat na-tu, & ob id domi fuit relictus à fratribus ad expe-ditionem Syriacam proficiscentibus, quorum Godofredus anno M C, Balduinus verò MCXVIII obierunt, quomodo Henricus filius Guillelmi potuit in Hispaniam venire anno M LXXXVIII? aut quomodo potuit eo tempore esse Comes Lo-tharingiæ, si tunc patruus eius viuebat Godoffre-dus?

dus? aut qui poterat Comes esse Lembargensis,
si is Comitatus ab anno M C LXXII incœpit: cum
verum sit Henricum Portugaliæ Comitem anno
M C XI I decessisse? Deniq; quomodo se potuit
partiri unus Henricus inter Alfonsum Hispania-
rum Regem, & Henricum Germaniæ Imperato-
rem, ut vno & eodem tempore militaret in His-
pania, & in Germania, nisi fortè Amphitryonis
fabula renouata est? Alia probabilior coniectu-
ra est, quòd nulli Principes eo tempore magis am-
bitiosi in titulis ostentandis fuere, quam Reges
Hispaniæ. Rex enim Alfonius VI. Castellæ &
Legionis, qui nec toti Hispaniæ dominabatur, sed
maiori eius parte potiebantur Reges Aragoniæ,
Nauarræ, Granatæ, & Comites Barchinonenses,
Hispaniarum se vocabat Imperatorem. Alfonius
item Henricus Rex Portugaliæ. I. Princeps inui-
etus, & toto orbe celebris, propter incomparabi-
lem fortitudinem animi, cuius nomen instar erat
magnorum titulorum, non modò suos titulos, sed
patri & matris, & aui, & vxoris etiam accumula-
bat, hoc modo. EGO Alfonius Rex Portugaliæ, Co-
mitis Henrici, & Reginæ Tarasie filius, magni, Alfonsi
Imperoris nepos, vn. cunii uxore mea Domina Mafalda
filia Comitis Amedei de Mauriana, &c.

CENSURÆ

Et Alfonsus III. qui coniugis Mathildis causa
fuerat Comes Bononiæ, tam repudiata, quām
mortua vxore, quo tempore Bononia extraneis
hæredibus Mathildis cesserat, Regem Portugaliæ
& Comitem Bononiæ, vsq; ad vitæ ultimum diem
inscribi se voluit, vt ex omnibus eius constat di-
plomatibus. Verisimile igitur erat, si Henticus
Lemburgi fuisset Comes, aut Lotharingiæ, vt alij
volunt, id titulis suis additurum, ea præsertim ra-
tione, quod Portugaliæ Comitatus erat dotalis.
Titulo autem huiusmodi vtebatur, vt vidimus in
legibus, quas forales nostri vocant, ab ipso Hen-
rico latis oppido Saatano, anno MCXI. *Ego Do-*
minus Henricus vnde cum consensu coniugis meæ Tarasie,
magni Regis Toletani Imperatoris filie. Et in foralibus
Saurij oppidi anno eodem. *IN DEI nomine. Pla-*
cuit mihi Contiti Henrico, & uxori meæ, Regis Domini
Alfonsi filie Tarasie, &c. Fuit igitur (ne indecisa
hęc relinquatur questio) Henticus natione Bur-
gundus, Guillelmi Comitis Burgundiæ nepos ex
fratre, Raymundi verò Comitis Galliciæ, & Ca-
listi II. Pontificis Maximi, patruelis, vt latius in
ipsius Henrici vita ostendeimus. Nos enim hic
Censoris officio, non historici fungi volumus.

CEN-

CENSURA IX.

QUOD ait Henricum in Hispaniam venisse stipatum caterua equitum Gallorum, è quibus erat Raymundus Burgudicæ Conaitis filius, & Raymundus Comes Tolosanus, sunt mera nugamenta. Et si enim sanguinis nobilitate, ij omnes æquales essent, Tolosanus eis dignitate, & potentia præstabat, vt qui Narbonensis totius ferè prouinciae Dominus erat. Quare venientibus simul, magis ipse Dux, quam comes & affeclæ erat futurus.

CENSURA X.

QUOD etiam ait, Comitem Tolosanum auunculum fuisse Henrici, ridiculè profecto scurratur. Mendacem enim oportebat esse memorem. Nam paulò superiùs dixerat, Henricum filium fuisse Guillelmi, & Getrudis Comitis Lucensis filiæ. Quare necesse erat, Comitem Tolosanum si auunculus Henrici erat, filium esse etiam Lucensis Comitis, & fratrem Getrudis. Certum tamen est (vt constat ex historicis Gallis, & ex Zurita nostro) illum recta linea descendisse

ex Comitibus Tolosæ & Prouinciae: quorum pri-
mus fuit Tersinus, cui successit Isaudus, Isau-
do Bertrandus, Bertrando Guillelmus, Guillel-
mo Raymundus Sancti Aegidij, Raymundo Guil-
lelmus Taglia ferrus, Guillelmo Pontius, Pontio
Aymericus, Aymerico Raymundus hic iunior,
de quo agimus. Ex quo potest sumi coniectura,
quām veræ sint cæteræ huius nostri historici na-
rationes.

HENRICVS Comes de Lemburg, propter res
egregias summa cum vitæ integritate, domi, militiaq;
gestas, ab Alfonso VI. Castellæ Rege primus Portugaliæ
Comitatu insignitus est. Quam prouinciam pater eius Fer-
nandus, cum titulo Regio, filio suo Garsia, simul cum Gal-
lecia in vita dederat.

CENSURA X.I.

QUOD h̄c ait, superius negavit, ut qui ex
libris authorum inter se diuersa sententiū,
sine iudicio h̄ec corrasit. Dixerat enim
Portugaliæ nomen, non nisi ab eo tempore, quo
Alfonsus I. Rex salutatus est, in Lusitaniam fuisse
extensum. In quo hallucinatus est.

IN

IN F. JOSEPHI TEIX. LIBELLVM. 11
IN ALFONSI. I. ELOGIO.

ALFONSVS I. Henrici filius Comitatu Portu-
galicæ successionis iure ganifus est, Ducisq; appellatio-
nem per XXVII. annos obtinuit.

CENSURA XII.

ERRAT & h̄c, & habet authores erroris.
Alfonſus enim, quandiu mater vixit, ad quā
Comitatu Portugalicæ, vt dotalis pertinebat, In-
fans appellatus est, vt etiam viuente patre. Mor-
tua autem matre, Princeps Portugalicæ dicebatur,
vſque ad Orichiense prælium, quo Regem eum
ſalutarunt anno M CXXXIX, Quod ex tenore
multorum diplomatum conſtat, quorum copiam
mihi fecit, cum multiſ alijs antiquitatis theſauris,
Antonius Caſtilius, à consilijs Catholicæ Maie-
ſtatis, & Regiorum ſcriniorum Præfectus, vir li-
matifimi iudicij, & qui ad iurisprudentiam, om-
nium literarum peritiam coniunxit. Ex quibus
referam vnum Henrici temporis, alterum Tara-
ſiæ, terrium ipſius Alfonsi.
In forali igitur lege oppidi Constantini Panoia-
rum, ea erat inscriptio.

Ego

CENSURE

Ego Comes D. Henricus vna pariter cum vxore mea Infante Domina Tarasia, &c.

Et subscriptio hoc modo.

Ego Comes D. Henricus & vxor mea Infans Domina Tarasi: manu nostra roborauius. Era M CXXXIII.

Ego Infans Alfonius filius Henrici Comitis & Infantis D. Tarasie authorizo & confirmo & roboro istam chartam quam fecit pater meus & mater mea regnante Domino Alfonso in Legione.

IN concessione iuris Cauti (ut vulgo dicunt) oppidi Alpendoradæ, quod Tarasia Regina Alfonsi mater instituit anno MCLXI. ita erat subscriptum.

EGO Regina Tarasia Domini Regis Alfonsi filia, concedo tibi Sarracino Vanegas &c. Supradicta Regina Domina Tarasia, quæ hanc chartam firmitudinis proprijs manibus roboraui, &c.

EGO Alfonius Infans mandanti, & concessi supradicta fieri, sicut parsim resonante pro amore Christi & Ecclesie libertate, & pro Sarracino Vanegas, qui me multis vexabis rogauit, & hanc chartam proprijs manibus roboraui.

IN ea vero donatione, quam supra retulimus in Censura LI de Eremita Sancti Romani, ostendimus anno MCLXXVI, quo tempore mater è

viuis iam concederat, ita subscriptissime. Ego Alfon-
sus Portugaliae Princeps.

ALFONSO nupsit Mafalda Manrique de Lara, filia
Henrici Comitis de Lara, & Principis de Molina
magnae apud Castellanos notæ.

CENSURA XIII.

NVgatur h̄ic noster author cum alijs geogra-
phiæ & historiarum imperitis, quos lecutus
est, qui cum legissent apud Rodericum Ximeniū
Archiepiscopum Toletanum, Regem Alfon-
sum, duxisse in vxorem filiam Conitis Morienæ,
nec scirent, vbi gentium is esset Comitatus, credi-
derunt esse Molinam oppidum prouinciæ Tarra-
conensis. Fuit autem Mafalda Allobrox filia
Amedei II. Comitis Maurianæ, Principis per ea
tempora celebratissimi. Is enim est, qui beneficio
Henrici V. Imperatoris fuit Arelatensium Prorex,
Princeps & Vicarius sacri Imperij per Italiam, an-
nexis Comitatui Sabaudiæ (quem veluti gentili-
tum voluit eius titulis deinceps præferri) ditio-
ne Maurianensi, Tarantasiensi, Belgensi, Augu-
stæ, Clabasij, Sedunensi, & Transalpina Sécutia.

De

CENSVRÆ

De quo nos multa diximus in vita Alfonsi. Hic Amedeus ex vxore Guigone secundum Paradinū, aut secūdum Philibertum Pingonium, Mahalda filia Comitis Albonensis sustulit Humbertum huius nominis III Sabauidæ Comitem. Ioannem valetudinarium, qui in cœnobio Diui Antonij vixit & obiit. Petrum, qui monasticam vitam egit. Adelaim nuptam Andreæ Comiti Angleriæ Principi Mediolanensi, Othonis Cæsaris filio. Alasiam, quæ nupsit Humberto Bellioci Principi. Mafaldam, quam duxit hic Alfonsus I. Portugalijæ Rex, cui sanguinis necessitudine coniuncta erat, ut in ipsius Alfonsi vita ostendimus.

SVscepta est illi Mafalda Raymundi Berengary Barchinone Comitis coniunx.

CENSVRÆ X I I I I.

VT hic sine delectu omnia transcribit cum suis mendis, narrat nobis hâc fabulam sumptam ex vulgari Alfonsi historia, quæ circumfertur. Alfonsus quippe Rex filiam non habuit Mafaldam. Natæ sunt enim ei ex vxore solum Vrraca, quæ nupsit Fernádo Legionensi Regi, & Tarasia, quæ Philippo Flandrensi Comiti. Et ex concubina al-
tera

tera Vrraca. Hoc constat ex diplomatis, & monimentis Regis Alfonsi, quorum magnum numeru vidimus in Regio chartophylacio. In quibus omnibus, more illorum temporum, quo Regum filij legitimi confirmabat parentum donationes, & subscribebant, solum fit mentio Vrracæ & Tarasie, quæ cum Sanctio fratre subsignabant. Rodericus etiam Toletanus Archiepiscopus maximæ authoritatis & diligentia scriptor, qui ea ferè tempora attigit, agens de liberis Regis Alfonsi, Vrracam & Tarasiam tantum nominat. Nec si Mafalda etiam haberet, locare eam poterat Raymundo Berengario Comiti Barchinonensi. Anno enim Domini M C XXXVII. ultimus Raymundorum, & Comitum Barchinonensium, vxorem duxerat Petronillam Ranimiri monachi Regis Aragoniæ filiam heredem, cuius matrimonij causa, Comitatus Barchinonensis accessit Aragoniæ sceptro, nec separatus est in posterum ad hanc usq; diem. Alfonsus autem Rex vxore duxit anno M CXLVI. Vnde apparet, impossibile fuisse illud matrimonium. Quo tempore etenim Mafalda potuit nasci, Raymundus erat iam senio confectus, & uxorem habebat Petronillam, quæ superstes fuit marito, & Regnum filio renuntiavit, anno MCLXIII.

CENSURÆ

ut ex Aragoniæ annalibus patet.

ANNO MCLXIX. Alexander III. Summus Pontifex, in ecclesia Lateranensi, c. successoribusq; suis, coronam ratam, firmamq; induxit.

CENSURA XV.

HIC etiam ineptit. Alexander enim III. Regnum Portugaliz cōfirmauit Alfonso anno MCLXIX. Ipfas enim literas archetypas vidi-
mus in Regijs scribijs. Alexander autem IIII. ad
Pontificatum ascendit anno MCCLIII. quo
tempore in Portugalia Alfonsus III. regnabat.
Et ita à confirmatione Alexandri III. ad Pontifi-
catum Alexandri IIII. intersunt LXXXV. anni,
quos hic noster bonus author deuorauit. Tanti
momenti in historia est temporum ratio, ad ve-
ritatem indagandam.

IN SANCTII.I. ELOGIO.

QVAE illi peperit Fernandum, qui ratione Iannæ
vxoris, Flandriæ Comitatum accepit. Hic bellū
aduersus Philippum Augustum Galliæ Regem gerens,
tello

*bello captus, Parisijs in arce Lupara, vitam cum morte
commutauit.*

CENSURA XVI.

HIC etiam errat. Fernandus enim Portugalię Infans, & Flandriæ Comes, in bello illo sociali, quod cum Othono III. Imperatore, Ioāne Rege Angliæ, Regnaldo Dampmartino, & alijs gessit aduersus Philippum Augustum Francorum Regem, captus ab eo in prælio illo apud Gallos celebri ad Bouinas, & perductus Lutetiam Pari- siorum, in arce Lupara asseruatus est, usque ad Philippi excessum. A Ludouico etiam VIII. quod conditiones quibus eum liberabat, ut nec sibi nec Flandris utiles, nec honestas non accepit, libera- tionem non impetravit. Vnde in captiuitate vi- tam traxisse XII annos, & in vinculis obiisse, non nulli authores tradunt. Alij redemptum tandem multo àuro, & bello postea perduellem interis- se. Sed utriq; falluntur. Mortuo namq; Ludouico VIII. Bláca Regina eius vxor à filio Ludouico IX. qui in Diuorum numerum relatus est, eius exo- rauit libertatem. Erat quippe Fernandus sanguine Bláca propinquus, & Alfonsi Regis Portu- galiæ fratrer, cui Vrraca Bláca soror nupta erat.

CENSVRÆ

Libertati autem restitutus anno M CCXXVII.
vt Nicolaus Gilæus, & Meyerus tradunt, multa
domi forisque præclarè gessit. Sexennio deinde
transacto, calculi cruciatu moritur Nouiomus: vbi
corpo in cœnobium Marketij delato, viscera
mandata sepulturæ, hoc insculpto Disticho, quod
Meyerus scriptum reliquit.

*Fernandi proaucti Hispania, Flandria corpus,
Cor cum visceribus continet iste locus.*

ET Petrum, cuius ditioni filiae Armengol ratio Co-
mitatum de Vrgel adiecit. Post modum à Ioanne I.
Aragonie Rege, insularum Maioricae, & Minoricae Re-
gnum illi delatum est.

CENSURA XVII.

Dicitur hinc. Ut enim in vita Sanctij Regis la-
tiū ostendimus, Iacobus I. quem Aragoné-
ses vocant Iaimium, Petro Infanti Portugaliæ,
tum ratione propinquitatis, ut qui erat patris sui
Petri consobrinus, tum in compensationem hæ-
reditatis, quam causa Reginæ Dulciæ matris suæ,
sibi deberi dicebat, Maioricæ Regnum contulit.
Id tamen, quia tueri à Sarracenorum iniurijs non
posse

posset, Regi Iacobo postea restituit, acceptis ab eo ciuitate Segorbiensi, Morella, & nonnullis alijs. Ab anno autem M C C X I I I . quo Iacobus regnare coepit ad Ioannem I. Aragoniae Regem C LXXXIII intersunt anni. Coepit namq; anno M C C LXXXVII. quo iam Petrus decesserat.

Martinus Sanchez de Portugal, cui ducta in uxorem est Eulalia Perez Comitis Petri Fernandi de Lancastro filia.

CENSURA XVIIIL

ERRAT etiam in hoc noster historiographus. Ad ea enim usque tempora non venerat in Hispaniam cognomentum Lancastrorum. Petrus autem ille Fernandus à Castro dictus est, & cognomento Castellanus, è familia nobilissima à Castro. Fuit quippe filius Fernandi Roderici à Castro, & Stephaniæ Castellæ Infantis, filiæ Regis Alfonsi VIII. de quo nos multa alibi. Hic ex Ximena Gometia filia Comitis Gometij sustulit Aluarum Perezium à Castro, & hanc Martini Sæctij uxorem: quæ non Eulalia, sed Ello dicta fuit, ut ex antiquis monumentis conuētus Calatravæ,

le-

CENSURA

legisse se dicit Franciscus Rades in libro de Militia Calatravensi, in vita Martini III. eius ordinis Magistri.

R Odericus Sanchez de Portugal, qui in infantia vitam finiuit.

CENSURA XIX.

H VNC ex annalibus nostris, & ex Petro Comite Barcellensi in suis genealogiarum commentarijs constat, non Infantem, sed iam virum factum perisse, in prælio ad Portuensem ciuitatem commisso.

H Vius Sanctij ætate, ordo Sancti Iacobi, & Cisterciensis de Auis exordium cepit.

CENSURA XX.

I N hoc maximè errat. Ordiné enim Cisterciésem à Rege Alfonso Henrico huius Sanctij patre, ex annalibus & antiquis monumentis tam Regionum scriniorum, quam Avisiensis Conuentus, cœpisse constat. Cuius sedem Eboræ collocauit, & Magistrum primum creauit Fernandum Monterium,

terium, cui Maforam, & alia oppida à Saracenis vindicata concessit. Tempore vero Alfonsi III. ad Castrum Avisiense sedes Magistralis (uti illi vocant) translata est, vnde Militiae nomen impostum fuit.

INnocentio III. Summo Pontifici centum auri libras munere misit.

CENSURA XXI.

NON hanc tam exiguam summam, si personas dantis & accipientis respicias, munere misit viuens. Sed cum testamento omnibus sui Regni cathedralibus ecclesijs ampla legata reliquisset, Innocentio III. tanquam Principis omnium Ecclesiae Praesuli, centum auri marchas etiam legavit, & ab eo voluntatem suam supremam ratâ esse petijt, ut ex ipius constat testamento.

IN ALFONSI. II.
ELOGIO.

SOrores tres Reginæ Urracæ fuere, prima Blanca Lu-
donici VII. Gallie Regis coniunx, quæ Sancti Lu-
donici mater fuit.

CEN-

CENSURA

CENSURA XXII.

ERRAT in historia. Ludouicus enim hic Octa
vius fuit, pater scilicet Ludouici IX. qui in
Sanctorum catalogum adscriptus est. Condonare
autem debent Galli Iosepho huic, homini scilicet
in Portugalia nato & enutrito, de Gallorum Re-
gum serie imperitiam, qui de Regibus Portuga-
liæ tanta mendaciorum portenta nobis inculcat.

Natus est Alfonso II. filius illegitimus Martinus
Alfonsus.

CENSURA XXIII.

Ecipiuntur, qui huius Alfonsi Martinum
Alfonsum filium fuisse dicunt. Cōstat enim
ex antiquis monumentis, filium fuisse Alfonsi Co-
mitis Bononiensis, quem ex Sarracenici generis
muliere sustulit, & proinde huius Alfonsi II. ne-
potem. Ad quem Sousæ cognomento Chichorri
genus suum referunt.

VM Alfonsus IX. Castelle Rex, ipsiusq; sacer,
arma in Guianam moturus esset, ab eo manum au-
xiliarem efflagitauit, quam non modò non porrexit, sed

*ut ab incēpto desisteret admonuit. Id responsum ægerriō
mē ferens Alfonsus, in cas mœroris angustias pertraclus
est, quæ mortis ei ansam præbucrē.*

Additio ad hæc ita habet.

Amicitia & fides Regum Portugaliæ erga Reges Galliæ.

CENSURA XXIIII.

Ridiculè profecto hic à Rege Gallorum benevolentiam captat, & vt historiarum ignarus glossam (vt aiunt) ponit contra textum. Per id enim tempus Aquitania seu Guiena non sub Regibus Francorum , sed sub Regibus Anglorum erat. Hanc etenim olim Reges Francorum Northmaniæ Ducibus tradidere, qui cum Regnum Angliæ occupassent, vtrumq; confusum est. Post varias verò contétes, Caroli VII auspicijs, Aquitania tandem ad Francos redijt. Verisimilius tamē est, quod ex annalibus nostris constat , hunc Regem Alfonsum Castellæ in mœrorem incidisse, quòd Alfonsus hic Portugaliae x̄tate minor, affinitate gener, & sanguine coniunctus Placentiam, urbem iam Portugaliae propinquam, noluerit ad colloquium cum eo ire, sed sacerum ad Regni limites vocauerit, fortè quòd ei nollet in re aliqua

E pa-

CENSURA

parere, & simultates inter eos essent. Sic etiam in celeberrimo illo prælio ad Nauas Tolosæ aduersus Marrochiorum Imperatorem, sacerum præsentia sua non iuuit, cui Reges Aragoniæ, Nauaræ, & multi Principes ex Italia, Germania, & Gallia, religionis ergo interfuerunt. Lusitanos autem plurimos interfuisse memorie proditum est.

Qui Conuentum Sanctarenensem antiquitate secundum in toto ordine, & in Hispania primum, exædificauit.

CENSURA XXV.

CVM monachus sit egregius hic scriptor, & in conuentibus & monasterijs tot annos egerit, nescit quid intersit inter monasterium & conuentum. Monasteria igitur quia ex lapidibus & corporibus constant, ædificari possunt. Monasterium enim locus est, in quo vita agitur solitaria. Conuentus non locum, sed personas respicit, & ex hominibus constat. Et nihil aliud est, quam homines, qui in unum locum conueniunt, quemadmodum confessus, homines in unum locum considerantes, aut secundum Festum multitudo ex pluribus gene-

generibus hominum contracta in vnum locum.
Cice.in Verrem: Cur prudetissimas,lectissimasq;
feminas in tantum virorum conuentum insolitas,
inuitasq; prodere cogis? Sic & Vergi.lib. 6.
Ænei.

*Dixerat Anchises, natumq; unaq; Sibyllam
Conuentus trahit in medios, turbamq; sonantem,
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit,
Adueros legere, & venientum discere vultus.*

Conuentus igitur, qui ex hominibus constat, ædificari non poterat.

IN ELOGIO SANCTII. II.

ANimam efflavit Sanctius, nullis superstibus liberis, Regno abdicatus.

CENSURA XXVI.

Ob nimium Theologiæ studium, videtur Iosephus noster Canonistarum dogmata neglexisse: propterea igitur nobis narrat hanc historiam perperam, & (ut nostrates dicunt) contra texum expressum Innocentij in cap. Grandi, de suppl. negl. Praela.lib.6. qui Vicarium Regni dedit Sanctio fratrem Alfonsum Bononiæ Comitem: cu-

CENSVRÆ

ius hæc sunt verba: Per hoc autem non intendimus me morato Regi, vel ipsius legitimo filio, si quem habuerit, predictum Regnum adimere, sed potius sibi & eidem Regno destructioni exposito, ac votis ipsis in vita ipsius Regis, per solicitudinem & prouidentiam Comitis consulere supradiæli, &c.

Si ergo Summus Pontifex Sanctio Regnum non statuebat adimere, nec filio eius, si habuisset, sed ei consulebat, vicarium dando, quomodo eum Regno abdicauit?

IN ALFONSI. III. ELOGIO.

ALFONSVS III. Bononiæ Comes, ex coningali ratione Mathildis, ex qua suscepti sunt illi filii Ferdinandus, & secundum alios Petrus, qui quidem in pueritia in Olisiponensi ciuitate obiit, atque in Conuentu S. Dominici ordinis Prædicatorum sepultus est. Robertus etiam, qui cum Mathilde matre apud Gallos mansit, & in Comitatu successit.

CENSURA XXVII.

QVOD hic patriæ hostis, Alfonso filios trubuit ex Mathilde Bononiensi, & Roberti surculum ex alia resectum arbore, in hæc
Por.

Portugaliae inserit, supplicio dignus erat, quod historias adulterat, & iura familiarum confundit, non ut Antonij sui causae faueret, cui id mendacium nihil proderat, sed ut aliorum gratiam ini-
ret, à quibus se subornatū mihi coram sui cœno-
bij Præfecto, cum in vinculis esset, narrauit. Ego verò cum de hac cōfutāda fabula, in vita Alfonsi latissimè egerim, statueram lectores eò ablegare. Sed quia sermone patrio scribimus, ut decet vitas Regum, & annales Regni scribi, veritus ne apud exteris, qui Lusitanicam linguam non callent, huius rei veritas lateret, diffisiùs quām pro nostri instituti breuitate, genus, matrimonia, & suc-cessores Mathildis verè ex vetustis Portugalię nō nimentis, & probatissimis Gallorum, & Flandro-rum scriptoribus, in gratiam historiæ studiosorū explicabimus.

ET ne ab ouo (quod dicitur) Bononiensium stemmata repetamus, quæ ad rem nihil faciunt, ab Eustachio illo Seniori duorum Regum Hiero-solymitanorum parente incipiemus. Ex Rhodolpho igitur Comite Bononiæ, & Rosella Co-mitis Sancti Pauli filia, nati sunt Godoffredus Episcopus Parisiensis, & is Eustachius Senior Bo-noniæ Comes. Eustachius verò ex vxore Ida filia

Go-

Godoffredi Barbatij Ducis Lotharingiæ & Mosellæ
 Arduenæ Bullonijq; Comitis habuit Go-
 doffredum Bullonium, & Balduinum Reges Hie-
 rusalem, Eustachium Iuniorem Comitem Bononiæ,
 & Guillelmum Baronem Iainuillæ. Eusta-
 chius verò Iunior ex filia quadam Regis Scottiæ
 vnicam sustulit Mathildem, quæ Stephano Co-
 miti Blesensi nupsit, ei scilicet, qui Rex postea
 fuit Angliæ. Ex his nati sunt Guillelmus, & Eu-
 stachius III. qui cum sine liberis decessissent, suc-
 cessit eis Maria eorum soror. Quam cum esset
 Abbatissa monasterij Rumessiensis, Henricus II.
 Angliæ Rex inde extraētam, Matthæo Elsatio
 filio Theodorici Flandriæ Comitis locauit. Ex
 eo incestuoso matrimonio nascuntur Ida Comi-
 tissa Bononiæ, quæ Reginaldo Dampmartini Co-
 miti, & Mathildis quæ Comiti Louaniensi nu-
 psere. Ex Reginaldo & Ida natæ sunt Mathildis
 hæc Comitissa Bononiæ, de qua agimus, quam
 nōnulli Mariam per errorem vocabant, & Alis,
 quæ Comiti cuidam Claramontis & Auerniæ
 locata est, ex quibus natus est Robertus, qui in
 Comitatu Bononiensi & Auerniæ successit: &
 quem falsò isti tribuunt Alfonso & Mathildi.
 Mathildis enim Comitissa Philippo cognométo

Cri.

Crispo, Philippi Augusti Gallorum Regis filio nup̄lit anno M C C XVI. Ex Philippo & Mathilde nascitur vnica filia Ioanna, quæ cum Gualtero Castellionio nupsisset, obijt sine liberis, viuente adhuc matre. Mortuo verò Philippo Crispo anno M C C XXXIII. iuxta Meyerum, Mathildis sine liberis relicta secundò nupsit Alfonso Infantì Portugaliae, filio Alfonsi Regis II. intuitu, vt videtur, materteræ Blancæ Gallorum Reginæ, quæ Ludouici VIII. fuit vxor, mater verò Sancti Regis Ludouici. Hic verò cum in Portugaliam venisset, & ad Regium culmen esset electus fratris morte, & iam non priuatam Comitis, sed publicam Regis personam sustineret, pertæsus cōiugij cum Mathilde, quæ iam annos a erat, vt in vita ipsius Alfonsi ostendimus, nec ei liberos pererat, affinitatem cum Rege finitimo, & potentissimo Alfonso X. contraxit, & Beaticem eius filiam illegitimam non dum nubilem duxit: id non modo sibi, sed & suis vtile autumans, ad Regni firmitatem & belli causas euitandas, quod inter prouincias æmulas timeri poterat. Nouitas enim Regni præter Regis Legionensis cōsensum instituti, cui Portugalia iure clientelæ olim renebatur, semper aliquid noui afferre poterat. Vere
bae

CENSVRÆ

batur etiam Lusitanos ægrè laturos, in Regnum hæredibus vacuum, à Rege adhuc iuuene adduci Reginam anum, & exteram. Accedebat, quòd sibi Regi facto, nihil iam commodi videbat ex Comitatu Bononiensi accessurum, ut qui Mathildis morte, non ad suos, sed ad alienos deferendus erat: & sacer in Algarbio oppida ei dotis nomine dabant, quibus Portugaliæ fines proferebat. Quocirca ius illud violauit, quod regnandi causa, saepè & à multis violatum est.

Questa igitur Mathildis de Alfonsi iniuria apud Summum Pontificem, vxor legitima declaratur, & Beatrix concubina. Quam cum Alfonsus dimittere nollet, nec Mathildem admittere, Alexander III. tam ipsum Regem Alfonsum, quam Portugaliæ Regnum sacris interdixit, eoq; statu māfere ad annum MCCLXII. quo Mathildis vita functa est. Huic cum sine liberis decederet, quòd Ioanna filia vnica, nulla item prole relicta, ante matrem obiisset, succedit Robertus eius nepos ex sorore Alide, quæ Claromontis & Aruerniæ Comiti nupserat.

Quòd verò Alfonsus ex Mathilde non tulerit liberos, testamentum eius docet anno MCCXLI cōditum, quod in Regio cartophylacio Olisipone affer-

asseruatur. In eo enim, post amplissimum legatum Alfonso marito reliquum, in ipso scripturæ contextu inseruntur Gualteri Castellionei & Ioannæ eius vxoris consensus, & subsignationes in huc modum. *Gualterus de Castellione. Et ego Ioanna eius* vxor, quorum sigilla inferius sunt appensa, supradicta approbamus, volumus, & concedimus & promisimus, & promittimus Comiti Bolonie supradicto, quod contra prædicta, vel aliquid prædictorum, nullo inquam tempore veniemus, &c. Ego etiam Gualterus dictæ vxori meæ auctoritatem præstisti, & assensum faciendo omnia supradicta, & sigilla nostra praesenti pagina apponi fecimus, &c.

Et in fine testamenti iterum ijsdem ferè verbis confirmant. Vnde apparet Ioannam unicam fuisse Mathildis heredem. Alter enim quorsum confirmaret? Aut quare illa & non Robertus, si is filius etiam esset? Item si Gualterus heres erat ex persona sua, quid opus erat consensu vxoris ad pecuniam legatam soluendam? Manifestè itaque liquet, Gualterum ex persona Ioannæ cepisse non ex sua. Ioannam etiam Alfonsi filiam non fuisse, constat ex verbis supradictis. Cuius quidem rei non minimum argumentum est testamentum Mathildis in Portugaliam missum. Cum enim in eo tam optimū legatum Alfonso esset reliquum,

CENSURÆ

& tam ipse quām Mathildis vererentur, ne Ioanna priuigna in odium victrici testamentum cælaret, vt eo onere se liberaret, in tutissimo loco seruari voluerunt. Quod profectò non fuisset, si Alfonsus liberos Bononiæ successores futuros habuisset. Aliud efficacissimum argumentum est, quòd nullos Matildis in eo testamento liberis suis tutores dedit, quòd præter Ioanam, eamq; iam nuptam Gualtero, nullus ei filius erat. Nec ipsum maritum Alfonsum, quem charissimum habebat suæ vltimæ voluntatis executorem instituit. Sciebat enim post mortem suam statim Bononia, & è Gallia discessurum, quòd liberos non haberet, & externus esset, nihilque ei ibi reliquum esset, quo cum decore Regis filius immorari deberet.

ET vt veritas (iuxta Euripidem) per se congruit, huic Mathildis testamento concinit supplex libellus, cuius exemplar extat in antiquissimo libro eius Regij chartophylacij, quo Alfonsi res continentur. Eo enim Archiepiscopus Bracharésis cum omnibus Portugaliæ Episcopis, mortua Mathilde, ab Urbano Papa IIII. petebant, Regnum Portugaliæ factorum interdictione, & Regem Alfonsum & Beatrixem legibus solueret, legitimosque eos

eos esse cōiuges, & legitimam suscep̄tam prolem ad Regni successionem declararet. Cuius verba in vita Alfonsi transcribimus. Ex quo colligitur, nullos liberos Alfonsum ex Mathilde suscep̄isse. Nam nec Summus Pontifex iura naturæ immunitatus erat, vt filij ex priori matrimonio legitime suscep̄ti deterioris essent conditionis, quam adulterini. Nec Episcoporum tam inuercunda postulatio erat futura, vt turbato naturæ ordine, in legitimorum & natu maiorum præiudicium, nulla de eis facta mentione, adulterio conceptos, & minores, ad Regni successionem postularent fieri legitimos.

HIS omnibus accedunt vrgētissimæ coniecturæ, quæ omnem probationem excedunt. Si enim pro coniugij titulo Mathildis questa est, & sententia Summi Pontificis iusta Alfonsi vxor iudicata, & eius filij iustis quæstionib[us] nuptijs, cur Robertus quem primogenitum dicunt, ob tantæ dignitatis spolium questus non est? aut cur interdictione sacerorum Regnum non constrictum est pro successione filij, vt fuit pro matrimonio matris? Scimus autem nullam de Regno fuisse disceptationem, aut querelam.

Præterea tam de nihilo erat Regni vnius successio, ut silentio ius suum Robertus obscuraret, & testatione saltem non notum ficeret omnibus, ad se Regnum Portugaliæ pertinere? Usitatisimum enim est apud omnes Principes, qui Regni, aut Dynastiæ alicuius sibi ius competere arbitratur, ea suis titulis inscribere, ne præscripta videantur. Sic Reges Angliæ Galliarum, Reges Siciliæ Hierusalem, Duces Allobrogum Cypri titulos usurpare videmus. Et (si dijs etiam placet) earum se Dynastas urbium multi dicunt, quæ iam non existant, nec locus scitur ubi fuerint. Quare & si Robertus à Regni petitione exclusus foret, nomen tamen inane saltem retinere debuisset.

Cum etiam homines tam audi sint honoris, ut multi per mendacia in alienas se inserat familias, quorum nos multos nouimus, cur qui legitimè à Rego prognatus erat, & primogenitus, se non Regis filium appellauit? Cur Lusitanorum Regum nobilissima illa insignia Robertus non clypeis, non peristomatis gestauit, aut qui ex eo prognati sunt? Nemo enim iuxta Doctorum sententias, & praxim totius orbis, potiori iure ea deferre possunt, quam qui filius erat Regis primogenitus.

Quod

Quòd si ratione Comitatus Bononiensis, alia gestare teneretur, cur saltem mixta non detulit? Nec enim quia possessionem dignitatis non habebat, nomine etiam spoliandus erat.

Quòd si nugatores isti, quòd è Portugaliæ scripsis hæc proferimus documēta; eorum fidem elebare velint, cum publica sint instrumenta, quæ cuiuis intueri licet, Gallorum hæc comprobemus testimonij. Et omissis quæ alij Gallici historiographi de hac re tradunt, & Iacobus Meyerus Fladricarum rerum scriptor magnæ authoritatis, Ioannes Nestor homo Gallus, vir doctus & diligētissimus, qui hæc ex professo tractauit, atq; perseratus est, & ad Christianissimam Reginam Catharinam de Medicis librum inscripsit de ipsius genealogia, qui Parisijs excusus est anno MDLXIII. per Carolum Perierium, affirmat Alfonsum nullam suscepisse prolem ex Mathilde: & Ioannam, quam vnicam peperit, ex Philippo priori marito fuisse susceptam: eamq; ante matrem sine liberis dececessisse. Mathildi auten in Comitatu Bononiensi successisse Robertum eius nepotem ex sorore Alide, filium Comitis Claromontis & Aruerniæ. Cuius verba ne nos peruerteris, aut ma
lè

lè vertisse dicant, prius Gallicè efferemus. Sunt autem huiusmodi :

LA Comtesse Mahault ou Marie femme de Philippe de France fils du Roi Philippe Auguste, fu Dame fort virtueuse, elle fonda trois chapelles en la eglise nostre Dame de Bolongne, & vne al' hospital de la dicté ville. Quelques vns tiennent, que elle deceda sans enfans, & que son n-pucu Robert Comte d'Auvergne lui succeda au Comté de Bolongne, qui est chose véritable. Mais ce n'est à dire qu'elle n'eust eu quelques enfans, auant que mourir. Car la chronique de Flandres atteste, que de Philippe & d'elle sortit vne fille nommee Ieanne, qui mourut auant sa mere, comme ausi lon peult cnoistre per quelques lettres del an M C C L. es quelles ces mots on esté escrits par la dicté Mahault. IOANNA FILIA MEA ET HÆRES. E par autres lettres de l'an MCCLVI. ou ces mots sont inscréz: IOANNÆ QVONDAM FILIÆ MEÆ. Aucuns ont voulu dire, que d'elle & de Philippe sortit vn enfant male nommé Robert, qui fut Comte de Bolongne, apres sa mere, & qu'il espousa Ioland fille de Iean d'Avesne Comte de Henault, de la quelle tutes fois n'eut aucun enfans, ains mourut sans hoirs. Ainsi escheut le Comté de Bolongne, a son cousin Robert Comte d'Auvergne. Mais la plus commune opinion est, que Philippe & Mahault n'eurent, que leur fille Ieanne, par la mort de la quel-

quelle, & puis apres de sa mere le Comte d'Anuergne, entra en possession du Comte de Bolongne. Le Comte Philippe deceda l'an MCCXXXIII. & sa femme Mahault se remaria l'an MCCXXXV. a Alfonso au Aufroy fils du Roi de Portugal, du quel elle n'eut aucun enfans. Idest,

Comitissa Matildis aut Maria, vxor Philippi Franci filij Regis Philippi Augusti, fuit heroina multis virtutibus praedita. Ipsa enim fundauit in ecclesia virginis matris Bononiae tria sacella, & unum in hospitali eiusdem civitatis. Nonnulli credunt, eam sine liberis deceperisse, & Robertum eius nepotem ex sorore illi successisse in Comitatu Bononiæ. Quod quidem verum est. Non tamen est dicendum, illam nullum in vita habuisse filium. Annales enim Flandriæ testantur, ex Philippo & Matilde filiam unicam natam fuisse nomine Ioannam, quæ ante matrem mortua est, ut etiam colligi potest ex nonnullis scripturis anni MCC L. in quibus Matildis, hæc verba ponit.
IOANNA FILIA MEA ET HÆRES. Et alia scriptura anni MCCCLVI. in qua hæc verba sunt inserita.
IOANNÆ QVONDAM FILIÆ MEÆ.
 Aliqui autem illam peperisse ex Philippo masculum nomine Robertum, qui fuit Comes Bononiæ post matrem, & vxorem duxit Iolandam filiam Ioannis de Auestra Comitis Hanoniæ, ex qua tamen dicunt non sustulisse liberos,
 sed

sed sine heredibus obiisse. Et ita Comitatum Bononiæ ad Robertum Comitem Aruerniæ cōsanguineum suum peruenisse. Receptior tamen opinio est, ex Philippo & Mathilde, nullum alium filium præter Ioannam fuisse procreationem. Morte autem ipsius Ioanne, & postea Mathildis, Comitem Aruerniæ in dominium Comitatus Bononiensis venisse. Comes Philippus decessit anno MCCXXXIII. Mathildis vero eius vxor anno MCCXXXV secundò nupsit Alfonso, seu Aufredo, filio Regis Portugalie, ex quo nullum peperit filium.

Superuacuum igitur videbatur, de Petro aut Fernando Mathildis filio Olisipone sepulto in Sācti Dominici æde disceptare, cum manifestè demonstrauerim, eam ex Alfonso nullos concepisse filios. Sed ne quid sit, quod ad hanc rem attinet, in quo huius Teixeræ nugis non respondeamus, quis ille fuerit ostendemus. Qui igitur eo loco sepultus est, Alfonsus fuit ipsius Regis Alfonsi & Reginæ Beaticis filius secundogenitus, Diony sij verò frater germanus, cum quo magnas exercuit inimicitias, Portalegrij, Arrontij, Castelli Vitei, Maruani, & multorum castrorum Dominus: qui vxorem habuit Violantidem filiam Infantis Emmanuelis, Fernandi III. Castellæ Regis filij.

Se

Sepultura in quam à principio illatus est(vidimus enim s̄epe illam, & illius titulum legimus) ex cādido marmore erat, ea magnitudine, qua magnis viris dignitate & ætate ædificari solent. Cuius tumuli tanta erat area, vt in parte anteriori venatorem equo insidentem cum canibus & apris inter arbores haberet insculptos, quia fortasse Princeps ille venationi deditus esset, aut quod venatio nobilium sit insigne, & exercitium. In operculo sepulchri incisæ erant literæ figura Gothica, quales ferè sunt omnes illius temporis, quibus continetur, sepultum esse ibi Alfonsum Infantem Portugaliæ, filium Alfonsi illius templi fundatoris, & Reginæ Beatrixis. Cuius epitaphij multi hodie sunt memores, & mentionem etiam facit in vita Regis Dionysij Fernandus Lopus Regius historiographus, & Regionum sciniorum Præfectus, vir exactissimæ diligentiae, & magnæ authoritatis, qui Ioannis I. Regis Portugalie, & Eduardi vixit tempòribus.

Annos verò ab hinc XX, cum eius cœnobij p̄fusul aliqua in templo ædificaret, quæ sepulturæ illius mole impediebatur, vt expeditiorem reddebet aream, eam diruit, & cadauer in lapideam capsulam parieti templi affixam transferri iussit.

CENSURÆ

Cum verò ab hinc quadriennium, cum Regis Alfonsi vitam literis mandarem, qua forma Princeps ille inuentus esset, inuestigarem, R.P. Magister F. Bartholomæus Ferreira Theologiae professor, cui ob vitæ integritatem & summam literarū omnium eruditionem Quæsitoris fidei officium, & librorum examen conimissum est, ab ipso architecto, qui monumentum diruit, & cadauer trāstulit, schedulam subsignatam mihi dedit, qua narrabat, proceri illud fuisse hominis & craſsi, ætate, ut videbatur, prouecti, capite & pedibus ferè consumptis, reliquum corpus integrum inuentū, & panno bombycino aurei coloris inuolutum. Quòd verò in minorem loculum erat inferendū, tentantibus per ossium iuncturas cultro secare, irritus fuit labor, quasi marmor enim lapidescebat. Vnde curuatura & per vim necesse fuit inferre, non sine iniuria illius Regij corporis. Subiit autem mihi eius rei commiseratio, quòd neglectum tanti Principis cadauer sine titulo, sine nomine iaceret, atque etiam indignatio, quòd literis illius epitaphij mendacissimas istorum nugas poteramus confutare. Non erat igitur puer, nec Petrus, aut Fernandus, nec Mathildis filius, ut falsò iste ait: sed Infans Alfonsus, qui extrema senectute

& tute moriens, filios reliquit ætate grandes, Alfonsum scilicet Dominum Leitiæ, & alios, de quibus latius in Alfonsi vita.

Quæ quidem omnia licet non tam apertè constarent, quis tam stupidi ingenij est, qui credat mulierem nobilissimam, amplæ ditionis Domianam, filiolum teneræ (ut isti fingunt) ætatis, vnius Regni hæredem, in Portugalia, terra non aliena modò, sed iam infesta, relicturam apud patrem inclementem, apud nouercam necessariò iniustā, quod iure eius filijs ille erat præferendus, ut legitimus, ut ætate maior, nec insidias timuisse, cum matres tuta etiam pro filijs timere soleant? Quis præterea tam à communi sensu alienus, qui eò vesaniæ existinet deuenisse Regem Alfonsum, ut certos liberos pro incertis, nec dum natis, & nobilissimam & opulentissimam vxorem, sui præterea amantissimam, & cum qua sine querela vixerat, ut ex ipsius constat testamēto, suorum deniq; liberorum matrem repudiasse, & se amplissimo Comitatu abdicasse, cuius titulo semper gloriatus est? Ad mortem enim usq;, quo tempore iam Mathildis apud superos erat, & Comitatus ad alienos transiérat, Rex Portugaliæ, & Bononiæ Co-

mes appellari voluit. Ex quo appareret, non Mathildem reliquisse, quod illius pœniteret, aut tæderet, sed quod ei liberos per ætatem parere non poterat, nec Regni hæredem haberet. Et magis fecisse quod filios, quos non suscepserat optaret, quam quod iam susceptos odisset.

Quod si Mathildis pertæsus esset, & aliā voluisse superinducere, quid innocentes liberi cōmeruerant, ut à patre etiam repudiarentur? Amor enim vxoris poterat alio amore vinci, & in odiū verti: at non filiorum, qui natura insitus est. Quis enim (ut Diui Pauli verbis utar) carnem suam odio habet? Ius namq; naturale, cuius perititia bruta etiam cēfēnit, liberos procreare, procreatōs diligere, & tueri docet. Quare non præsumendum est, Alfonsum Regis filium, & in suscep̄tām prolem indulgentissimum (ut de eo traditur) liberos cum uxore repudiasse, & naturalem affectum etiam cum brutis cōiunem exuisse.

IN DIONYSII ELOGIO.

CViis ex partu Dionysio exoritur Sibylla, Ducis de Lancastro coniuncta.

CENSURA XXVIII.

HVNC errorem, quem sub dubio reliquit Rosierius Gallus scriptor, hic noster constanter affirmat, & impudenter suo more, ut qui alieni operis mauult esse corruptor, quam transcriptor. Dionysius enim Sybillam non habuit filia, nec aliam legitimè natam, præter Constantiam Castellæ Reginam, ut ex annalibus Regni, & monumentis antiquis constat.

SVsccepit illegitimum Petrum, cui nupsit Blanca Petri Ioannis Domini de Portalegre filia.

CENSURA XXIX.

ERAT & in hoc. Petrus enim Ioannes Dominus erat Portelli: non Portalegrij. Portellum namq; oppidum est Ducatus Brachantiæ, Eboresis diœceeos: Portalegium autem ciuitas nobilis & Episcopalis, caput Comitatus, cui nunc præest Ioannes à Sylua Regis maximus Oeconomus.

INSTITUIT Dionysius suo tempore religiones militum scilicet, Sancti Iacobi, & militum Cisterciensium de Avis.

CEN-

CENSURA

CENSURA XXX.

IN felicissima memoria est iste author predictus,
seu mauis perditus, qui toties sibi contradicit.
Supra enim in elogio Sanctij Senioris, ipsius tem-
pore, hos ordines militiarum institutos dicit, hic
autem tempore Dionysij, & utrobiique errat. Or-
do enim Cisterciensis militiae, quæ postea in Au-
siuum translatæ est, ab Alfonso. I. Rege cœpit. San-
cti verò Iacobi militia instituta est à Sancto II.
A Dionysio itaque hi ordines non instituti, sed
eius opera, ordo Divi Iacobi exemptus à iurisdi-
ctione Magistri Vclensis: Cisterciensis verò, id est,
Ausiensis, à Magistro Calatravensi Regni Castellæ.

Elisabeth Dionysij coniunx conuentum Sanctæ Clie-
ræ in ciuitate Conimbricensi extruxit, cuius ingre-
sum sibi, cum Domina Isabella de Corduba eius consan-
guinea imponere grauata non est.

CENSURA XXXI.

REGINA Diua Isabella Dionysij coniunx
monasterio se non authorauit. Extra ceno-
bium enim sibi visa est, tam familiam alendo,in-
qua

qua plurimæ erant virgines & viduæ nobiles, moribus & vita selectissimæ, quam alia pietatis opera exercédo, maiorem apud Deum gratiam inire. Ea enim erat eius vitæ institutio, & mundani fastus contemptus, ut magis in cœlo quam in tertis conuersari videretur, & ibi esse monasterium aetissimæ religionis, ubi ipsa commoraretur. Ut verò cum virginibus sacris assiduè esset, iuxta Diaz Claræ celebre illud Conimbricense monasterium ædes sibi construxit, & ibi hospitale simul. Inde ad monachas frequenter ibat, & ex ijs aliquot domi semper habebat, cum quibus preces recitabat. Deniq; extra monasterij claustra habitabat: & Estremotij obiit anno M C C X X X V I dum in Castellam iret, pacis conciliandæ gratia, inter filium Alfonsum IIII Portugaliæ Regem, & nepotem Alfonsum XI Castellæ non animis solùm sed armis dissidentes. Isabella autem, quæ prima Abbatisa eius parthenonis fuit, non à Corduba, sed à Cardona dicta est. Erat enim neptis ex sorore illegitima ipsius Reginæ, quæ Raymundo à Cardona Aragonensi primæ nobilitatis viro nupserat. Quid autem Aragoniæ Domui cōmune cum Corduba?

CENSVRÆ
IN ALFONSI IIII ELOGIO.

Alfonsus IIII cognomento Brauo Dionysij filius,
matrimonij vinculo Constantie Fernandi IIII Re-
gis & Constantie, Dionysij patris sororis filiae, copulatus
est.

CENSURA XXXII.

Lippis & tonsoribus apud nos notum est, Al-
fonsum hunc IIII Portugalæ Regem vxore
duxisse Beatricem, filiam Regis Sanctij Castellæ,
cognomento Ferocis, & Reginæ Mariæ, sororem
illius Fernandi, cuius hic dicit fuisse filiam, ut ex
annualibus & ipsorum sepulturis, quæ in summo
ciuitatis Olisiponensis templo sunt, legenti statim
constabit. Noster autem hic historicus, ut est dili-
gens veritatis indagator, omissis fontibus Portu-
galæ & Castellæ, vnde hoc haurire debuerat, Viol-
fangum Lazio hominem exterum, de Lusita-
norum rebus Lusitanus consuluit, de cuius lacu-
nis hanc veritatem hausit.

EX qua orti sunt Alfonsus & Ioannes, quos in ipso
vitæ lumine cunis mors abripuit, Petrus successor,
Maria Alfonsi XI Castellæ Regis coniux, & Leonora
Petri II Aragonie Regis vxor.

CEN-

CENSURA XXXIII.

Delirat etiam hic. Petrus enim II Aragonensis Rex præcessit hanc Leonoram Alfonsi III Portugaliæ Regis filiam centum annis, & eo amplius. Petrus autem III eius Leonoræ proœsus fuit. Petro igitur IIII nupsit, qui Crudelis vocatus est.

ANNO MCCCXL. Rex Benamarin, Rex Granatæ, & Rex Marrochiorum, cum duobus alijs Regibus, ciuitatem Tarifam in Regno Castellæ obsidione cinxerunt.

CENSURA XXXIIII.

Somniat hic noster stemmatographus, dum vnum hominem in duos partitur. Ait enim alium esse Regem Abenamarin, alium verò Marrochiorum, cum vnum & idem fuerit Haliboacen Rex Marrochiorū, & Rex Abenamarin, ut ex analibus constat, tam Castellæ, quam Portugaliæ. Sarracenorum enim, qui in Africa sunt dominati, duæ fuere factio[n]es, seu familiæ, altera Almohadum, altera Marinorum, quæ usque ad ortum Serifiorum nostri temporis viguit. Hinc ea pars

H Afri-

CENSURA

Africæ, qua Marini sunt potiti, Regnum Abenam
marin vocatur. Huius familiæ erat Sala ille Aben
Sala, à quo Ioannes I. Portugaliæ Rex Septam vin
dicauit. Huius etiam erant Fessenses Reges, quos
hac tempestate Seriphij expulerunt, & Mulei Bu
asson Belidis Rex, quem nos Ioannis III tempo
re Olisipone vidimus, ab eo suppetias petentem,
ad vindicandum à Seriphij Fessense Regnum. Ut
igitur Rex Castellæ, & Rex Portugaliæ unus PHILIP
PVS est, ita Rex Marrochiorum, & Rex Abenam
marin, unus erat Hali Boacen.

CViis obsidionis soluendæ gratia, Alfonsus XI. tunc
temporis in Eborensem ciuitatem ad auxiliarem Al
fonsi socii sui finium configit.

CENSURA XXXV.

HOC etiam falsum est. Alfonsus quippe Ca
stellæ Rex, ut sciebat infensum sibi esse so
cerum Alfonsum, non ipse Eborā venit, sed vxo
rem Mariam Eboram ad patrem misit, quæ illius
animum placaret, & ab eo auxilium peteret. Al
fonsus verò gener in Iurismœnia Portugaliæ op
pidum in Regnorum confinio, ab Ebora longe
di-

distant, venit ad sacerdos, ijsq; salutatis, in Castellam reuertitur.

Qui primò quidem nullum imploratiōni locum reliquit, post modum verò Mariæ filiæ precibus cedere compulsus, in oppido Geromenæ suppeditales copias prestitit.

CENSURA XXXVI.

HOC etiam est falsum, & contra historiæ fidē, Regiarumq; personarum decus. Marrochio- rum enim Imperator Hali Boacen, cōmuniis omnium Hispaniæ Regum hostis, collectis ex tota Africa, & ab ipsis Ægypti confinibus, innumera- bilibus copijs, quibus Hispaniarum imperium sperabat recuperatum iri, per fretum Herculeum exercitum traiiens, Tarifam obsedit. Quare Al- fonsus, audita filiæ & generi postulatione, proce- rum cōsilium non admittens, qui illi iter dissua- debant, nulla interposita mora, in Castellam ma- gnis itineribus cum filia contendit, auxiliaresq; copiæ illum secutæ sunt, quibus famigeratissimo prælio illi interfuit, quo Regem Granatæ vicit atque fugavit. Aliter enim inciuite fuisset, & cōtra Regiæ maiestatis decus, venienti ad sua tecta

CENSURA

Regi potentissimo, genero, & nepoti ex sorore, vicino, adde & Christiano, pro defensione Hispaniae, à fidei hostibus opem poscenti, difficilem se præbuisse. Peteti itaq; auxiliū pro re tam pia, non auxilium modò, sed & caput suum vltro obtulit.

C Onscripto itaq; in Portugalia numeroſo exercitu, ad Terciam ſe contulit.

CENSURA XXXVII.

H IC etiam falſo narrat. Rex namq; cum familiaribus ſuis tantum, Castellam petiuit, nullo collecto milite: illud ſuis memorans: Lufitanorum peculiare eſſe, ſequi ſuum Regem, quo quó tendat: ideo non dubitare, quin officium ſolitum erga ſe præstituri eſſent. Nec fruſtratus ſua ſpe eſt. Secuti enim ſunt eum plures ſua sponte, quamquos preſens ipſe colligere ſtipedijs poſſet.

ET quinque Saracenorū Reges prælio laceſſit, eosq; Stygias detruſit ad vndas.

CENSURA XXXVIII.

IN hoc etiam nugatur iſte noſter historicus. Hali Boacen enim Matrochiorum Rex & Aben Ha-

Habet Ioseph Rex Granatæ duos formarū exercitus: diuersisq; locis castramctati sunt. Christiani autem Reges ita conuenere, vt Rex Castellæ cum Rege Marrochiorum, Portugaliæ verò cum Rege Granatæ confligerent. Parta autem victoria à Christianis, & ingenti ædita strage, Reges Saracenorum incolumes mansere. Paucis enim interiectis mensibus, ad longissimam illam, & memorabilem Aljeziræ obsidionem cum immemo rabil exercitu rediere, ex qua tandem victi iterū disceliere, expugnata vrbe ab Alfonso Castellæ Rege. Non eos Reges igitur Portugaliæ Rex Alfonsus Stygias detrusit ad vndas, vt noster hic se mipoëta canit.

Tanta hic hostium strages est edita, ut quadringentis quinquaginta Saracenorū millibus gladio trāfixis, vix tantæ cladis nuntius superfuerit.

CENSURA XXXIX.

Nobilissimum etiam hoc mendacium est. Ex annalibus Castellanorum vnde Portugaliæ historiographus accepit, non constat de numero. Aiunt namque, secundum vulgi famam ducenta Sar-

CENSVRÆ

Sarracenorum millia fuisse desiderata, Genuësem
verò narrasse, numerum eorum, qui fretum traie-
cerunt, fuisse quadringéta millia, hoc est tam mor-
tuorum, quām captiuorum vtriusq; sexus & æta-
tis: quod verisimile non est. Certum verò est, eo
animo plærosq; ex Sarracenis venisse cum uxori-
bus, & liberis, & tota familia, ut Hispaniam inco-
lerent. Credebant enim, eam recuperandam, &
omnes extinctum iri Christianos. Vnde si foemi-
nas, pueros, senes, captiuos, & eos, qui ad suos re-
diere incolumes, excipias, etiam si Genuensis vera
narraret, non poterat transadigi gladijs, quadri-
genta millia Sarracenorum. Verum tamen est, in
tanta multitudine promiscua hominum, sexus
omnis, & ætatis, qui ex varijs prouincijs, & diuer-
sis itineribus ad mare descenderunt, non potuisse
illos in numeros referri, nec eorum certum nu-
merum sciri: ut ex lapide marmoreo constat, quē
Eboreenses eo tempore, parieti summi templi, in
memoriam eius victoriæ patrio sermone affixe-
runt, quōd centum equites, & mille pedites sui in
ea pugna strenuè dimicassent. Verba autem hīc
inſerere libuit, tum quōd omnis mihi de patria
cōmemoratio iucūdissima est, tum quōd optimū
eius victorię p̄ebeat testimoniu, quæ Latinè versa-
ita habent.

ERA MCCCCLXXXVIII Rex Abenamarin Dominus Transmarinus fidens sibi & suæ magnæ potentiae, mare traiecit cum Forra filia Regis Tunetis eius legitima uxore, ut Christianos persequeretur, & extingueret. Obsedit Tarifam, & tantæ fuerunt eius copiæ, vt æstimari non potuerint. Quarum certitudo cum Alfonso Regi Castellæ constare non posset, cœpit timere, & ad Regem Alfonsum Portugaliæ sacerorum suum venit auxilium petiturus. Illi autem placuit, & corpore suo, & copijs eum iuicare. Et nulla facta mora, contendit in Castellæ Regni, suis iubens, ut eum sequerentur. Ex Ebora duxit centum equites, & mille pedites, quorum antesignanus fuit Consalus Stephanus Carbonarius. Certatum est cum Sarracenis, & Rex Portugaliæ congressus est cum Granatæ Rege, Castellæ autem Rex cum Abenamarin. Beneficio Dei, nemo ex Sarracenis retrouersus est, & tot occubucre coprælio, ut numerari non potuerint. Rex Abenamarin & Rex Granatæ fugam arripuerunt. In castris Abenamarin magna vis auri & argenti inuenta, quæ Regi Castellæ cessit. Perierunt ibi Regis Hali Boacen uxori, & aliæ nobilissimæ fæminæ, & pueri innumeri. Capti sunt filius unus, & neptis una Abenamarin, & nepos unus ex fratre. Sit Dominus benedictus pro tanto beneficio, quantum in Christianos contulit. Amen.

EX

CENSURA

EX hoc igitur lapide constat, nec Alfonsum Regem preces Regis Castellæ respuisse: nec numerū Sarracenorum iciri potuisse, & Regé Marrochiorum & Abenamarin esse eumdem Hali Boacen.

CENSURA X.L.

F Alsum etiam est dicere, tantæ cladi non superfuisse nuntium. Ut enim ex annalibus Castellanorum & nostris constat, tot ex Sarracenis manserunt incolumes, ut cum ad suos rediret XII triremes, XV consumperint dies, in illis per fretum Herculeum trans portandis.

IN PETRI ELOGIO.

PETRVS I. cognomento Inſtitarius, primo coniugij thalamo, ſibi iunxit Conſtantiam Emmanuel, Alfonſi XI Regis Castellæ ex filio Petro, neptem.

CENSURA XLI.

H IS paucis verbis multa inſunt deliria. Fuit quippe Conſtantia filia magni illius Ioannis Emmanuelis, filij Infantis Emmanuelis, qui

qui Fernandum III. Castellæ Regem patrem habuit. Ille autem ex Constantia filia Iacobi Aragoniæ Regis, & Blancæ Caroli Regis Neapolitani filiæ, sustulit hanc Constantiam: quæ cum Alfonso XI. Castellæ Rege, cuius nepté hic dicit fuisse, sponsalia contraxit. Postea verò renuntiatis ab Alfonso sponsalibus, Petro huic Lusitano nupsit, inuito Alfonso, qui eam amauérat, & persuasus à fuis Mariam huius Petri sororem duxerat: cum qua non bene ei conueniebat, amoribus Leonoræ Noniæ concubinæ irretito. Indignabatur autem, quod nec posset repudiare Mariam, quam oderat, nec Constantiam ducere, quam amabat. Constantia verò neptis Alfonsi XI. ex filio Petro multos post annos, Ioanni Gando Duci Lancastrensi locata est: ex quibus nata est Catharina mater Ioannis II. Regis Castellæ.

EX Constantia edita illi in lucem Leonora, Petri Crudelis Aragoniæ Regis vxor secunda.

CENSURA XLII.

DElirat, & labitur memoria. Hæc enim Leonora Petri huius Portugaliæ Regis soror erat,

CENSURA

erat, non filia, vt superius dictum est in elogio
Alfonsi III.

EX Agnete à Castro habuit Beaticem, coniugem
Sanctij Comitis de Albuquerque, Alfonsi XII. Ca-
stellæ & Legionis Regis filij.

CENSURA XLIII.

HIC etiam error est. Ultimus enim Castellæ
Rex nomine Alfonsus XI fuit. Quod si Ste-
phani Garibaij computatione sequitur, admissus
in numerum Regum Castellæ Alfonso Aragonio
& Navarro Rege, Vrracæ marito, sibi cōtradicit in
Errato cēsurre XLI. qui vndeclimum eum nominat.

IN FERNANDI ELOGIO.

Fernandus ex Reginæ Leonora Tellez de Meneses,
filiam extulit Beaticem, quam Ioanni I. Castellæ
Regi matrimonio copulanit.

CENSURA XLIV.

EFFerre filium est ad sepulturam mortuum du-
cere. Fernandus autem mortem obiuit, Bea-
trice filia incolumi. In angustum igitur fratrem
Io-

Iocephum adduximus. Aut enim malus est histo-
ricus, aut pessimus grammaticus.

Recensetur & illud de infantula Oclimestri, que à
cunis se se erigens, in vocem hanc erupit: Portugal
Portugal por el Rei Dom Ioão. Eiusdem generis exē-
plū ante electionē Antonij, in ciuitate Sanctarenēsi ab in-
fantulo, multis audientibus, & spectatibus, perhibitum est.

CENSURA XLV.

Qvanta veritate hoc nitatur miraculum, in-
de licet aestimare, quod nugator hic nu-
gatorum omnium nugacissimus, & qui se
ijs temporibus omnium testem oculatum fuisse
prædicat, noluerit sua fide, sed aliena, tam impu-
dens constare mendacium. Cum verò nulla res sit,
ad multitudinem in quamcumq; partem mouen-
dam, magis efficax, quam Dei metus & religio,
qua descendere ad animos (vt est apud Liuum)
sine commento miraculi non potest, visitatissimum
semper fuit ijs, qui nouas res moliuntur, huius-
modi imposturis popularium animos vertiari. Si-
mili fallacia, Numa, in Regni auspicijs, cum
Nympha Ægeria congressus nocturnos simula-
bat, vt Romanorum animos militia effrenatos

legibus ac moribus componeret. Simili Sertorius
coimento, ceruam, quam secum habebat man-
suefactam, vt vocantem exaudiret, ambulantem
sequeretur, Diana donum esse dicebat, multaq;
ex occultis per eam edoceri, vt Lusitani crederet;
se non Sertorij hominis externi, sed Dei consilijs
duci. Eadem vafricie, Maumethes colloquium
cum Angelo Gabriele fingebat, vt morbum cadu-
cum, quo laborabat, cælaret, & ad pessimæ legis
fementem faciendam, sibi multitudinem conci-
liaret. Affirmabat enim, se ideo in terram cadere,
quòd tantum Angeli splendorem ferre non pos-
set.

Sic & Antonij affeclæ, qui eum in omnibus
actionibus Ioannis I. Portugaliæ Regis vestigijs
insistere volebant, ne in re aliqua ei similis non
videretur, miraculo etiam eum Regem designari
diuulgarunt. Audierant enim fabulam de infan-
tula Octimestri quam Eboræ, quo tempore Ioānes
ille Regnum affectabat, in cunis dicebant bis ac-
clamassem, *Portugalia pro Rege Ioanne*. Quare & in-
fantulum (sexum enim mutarunt, ne imitatio vi-
deretur) eadem de Antonio prædixisse iactabat.
Quod longa manu author noster in suo libro no-
tauit, vt scilicet scirent omnes, eum hominem esse
egre

egregiè stolidum, qui non sensit, id magis Anto-
nij sui causam lèdere, quàm iuuare. Colligitur
enim hoc Sycophantiam fuisse, vel (si negét) Dia-
bolum, qui pater mendacij est, ore eius infantis
fuisse locutum, cuius vaticinio euentus non re-
pondisset. Regnum enim ei delatum est, cui iu-
re diuino, & humano, & nostratiuni legibus de-
bebatur, & cui (si Lusitanorum suffragijs deferé-
dum esset) propter eximum orthodoxæ fidei ze-
lum, maximam potentiam, incomparabilem gu-
bernandi peritiam, iustitiam, & liberalitatem, po-
tiori iure deferri debuit.

NE porrò corum omnium, quæ Henrici Cardinalis
& Portugalie Regis, Gubernatorum, & Antonij
tempore contigerunt, fides abrogetur, lectorem moritum
velim, me corum non auritum, sed oculatum testim exti-
tisse.

CENSURA XLVI.

AVdisti (vt opinor) fratre Iosephe, eum qui
semel verecundiæ limites transferit, oportere
esse gnauiter impudentem. Gloriaris enim, con-
tra Diui Pauli sententiam, de eo quo maxime cru-
bescere debueras, te scilicet, nec legitimè certasse
in

in agone, nec ut bonum militem militasse: sed secularibus, & omnibus omnium te implicuisse negotijs. Tantum igitur tibi erat otij ab re tua, ut ea cutares, quæ ad te nihil attinerent? Dic ergo nobis sacerdos, quando preces horarias recitabas? Quando inter psalentes fratres Domino canebas? Quando rem sacram faciebas? Dic concionator Regie, & Theologiæ professor, quando quod dicaturus eras meditabaris? Dic obsecro monache, qui à singularitate nomen sortitus es, cui carcer oppidum (ut Diuus Hieronymus ait) & solitudo paradisus videri debuit, quid agebas in foro? Quid per plateas, vias, portus, & angiportus circumforaneus quarebas? Quid agebas in Gallia? Quid in Insula S. Michaelis, quam aduersus PHILIPPVM Regem tuum concitasti: eum inquam Regem, qui cum summo supplicio dignus esses (qua est clementia & religione) te inter alios in bello contra patriam captum, & læse Maiestati obnoxium, tuo sodalitio reddi iussit illæsum? Quid inquam agebas inter tubas & classica? Quid inter armatos in patriam? Quid inter bombardas & belli tonitrua, qui vitæ tranquilliori te dicaseras? Satius profecto tibi fuisset, si cum tot res agebas, animam egisses, ne his eam flagitijs inqui-

nares. Quid est esse Ardelionem, quid Prothea,
si hoc non est? Ne cathenæ quide[m] & compedes,
quibus te in carcere à tuo Præsule vincetum vi-
dimus, quietum potuerunt reddere. Sed ijs ru-
ptis aufugisti, ne quid deesset quod ageres: & verè
Prothea referres: vt de te illud Flacci videatur di-
ctum:

Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Protheus.

Sed omisssis his (Censorem enini non accusato-
rem agimus) testimonium tuum ad iuris libellā
expendamus: vt appareat, quanta tibi fides adhi-
benda sit à Gallis hominibus, quibus imponere
voluisti. Primum, si numero fides testium cōstat,
tu solus es, qui has nugas afferis: & vnius hominis
testimonium quantumuis magni nullum est.
Si testimonio fides etiam iureiurando quæritur,
tu hæc non iurasti, sed finxisti. Si in teste (secun-
dum Modestini sententiam) integritas vitæ, &
mores ponderantur, tu vitæ perditissimæ homo,
proditor patriæ, & publicus hostis, tui ordinis
transfuga, & apostata. Qui cum in eorum religio-
sorum coniunctu & contubernio degeres, quorum
exemplo, posses innocentem atq[ue] beatam vitam
transfigere, militarem istam elegisti inter remiges
&

& carnifex Philippi Strozi factus miles, atque gladiator. Si testis affectus suspicione carere debet, tu suspectissimus eras, qui eius viri causam defendis, & amplificas, cuius comitem & alleclam te omnes scimus: in cuius comitatu captus es: in cuius obsequio nunc degis, quod ad eumrupto carcere rediisti: cuius gratia patrios lares, religionis institutum, & ipsum Dei numen reliquisti. Denique si in testimonio verisimilitudo rerum spectanda est (ut Iureconsulti docet) preterquam quod falsa, impossibilia, & à nemine auditâ nobis narras, tu homo obscurus & ignotus, nulla literatura, aut gratia commendabilis, quomodo poteras interessere procerum consilijs, Regum archani, Principum legationibus, ordinum postulationibus, epistolis, nuntijs, aëtibus, omnibus denique rebus, quæ tam diuersis locis agitabantur, nisi fortè Gygis annulum, aut Plutonis galeam habebas, quibus conspicuus non esses?

IN IOANNIS I. ELOGIO.

Exclusis Ioanne Principe, & Dionysio, fratribus legitimis, quos mancipij nexu Ioannes Rex Casstelle coarctatos assertuabat.

CENSURA XLVII.

Mancipij nexu coarctantur serui, qui ideo dicuntur mancipia secundum Varronem, quod manu capiantur. Mancipij vero nexus alienatio est dominij, & possessionis, & dominij traditio, secundum Boëthium in Cicer. Topica. Ioannes autem Rex Castellæ Ioannem afferuari, tantisper iussit, dum de Regno Portugaliæ discēptabatur, ne si ille in Portugaliam veniret, ut erat omnibus gratus & charus, ob multas animi & corporis dotes, & quod pro Petri filio legitimo erat habitus, spreta Beatrice Regina, Regnum inuaderet, Falsum est autem, eum dictū fuisse Principem. Falsum etiā Dionysium in custodia fuisse: ut à quo Castellæ Rex non metuebat: quod minor ætate esset, quam Ioannes, nec populo tam charus.

CVM Diaconatus Ioannes apud Comimbricenses personam sustinueret,

CENSURA XLVIII.

Falsum hoc est. Nullius enim sacri ordinis charactere fuit insignitus, Et Summi Pontificis

K di.

CENSURÆ

diplomate solùm constat, eum militiæ vinculo,
& perpetuæ castitatis voto, quod Milites Auisiens
sis ordinis eo tempore concipiebant, exolutum
fuisse. Magistros autem militiarum, viros scilicet
militares, nunquam ante Ioánum, nec post, sacrís
initiatos legimus. Mirum autem est, quanta cura
impostores ij per omnia voluerint exæquare suū
Antonium Ioáni Auisiensi Magistro: quasi si simi
les in multis forēt, eadē omnino de Antonio spe
randa, eadem pro eo agenda essent, nulla téporis,
loci, aut personarum circumstantia perspecta. Ne
verò vlla in re dispares viderētur, quid Antonius
Diaconatu fuerit initiatus, Ioannem etiam Dia
conum cōminiscuntur. Ex quo fides huius boni
historici cōstare potest, qui Diaconatum in Ioáne
fingit, in Antonio cēlat, causæ suæ fauens.

Ioanni coniugali toro iuncta est Philippa Ioánis de Gā
dauo Duci de Lancastro filia, quæ plures eius opera libe
ros extulit, nempe Blancañ, & Alfonsum, quibus immatu
ra mors infantiae surgentis usum ademit.

CENSURA XLIX.

HIC etiam cum suis elegantijs errat. Alfon
sus enim primogenitus non infans, sed iam
fe-

ferè adolescētiæ initio, ætate scilicet X. annorum mensiū III, dierum XXIII, mortem obiit. Natus quippe Sanctarenæ anno M CCCXC. XXX die Iulij, moritur anno M CCCC. XXII die Nouæbris. Sepelitur Bracharæ in summo tēplo, in pulcherissimo tumulo æneo, quem Isabella Dux Burgundiæ eius soror, è Flandria optimè fabricatum ad fratrem honestius sepeliendum misit.

ET Petrum Ducem Conimbricæ, &c. cui desponsata est Isabella de Aragão, Ioannis Comitis de Vrgel filia.

CENSURA L.

ERAT HIC. Iacobus quippe Comes Vrgellen sis ille dicebatur, non Ioannes. Notum est enim Iaimium pro Iacobo, non pro Ioanne dici ab Aragonensibus. Nec meminit de Iacobi Regis historia, quam ipse narrat in Commētarijs, quos scripsit de vita sua, secūdūm Petrum Beutherum Theologum in eiusdem Iacobi vita. Est autē huiusmodi: Maria Aragoniæ Regina vxor Regis Petri cognomento Catholici, cum filium peperisset unicum, & dubia esset, quod nomen illiinderet, promisit, se illius Diui nomen impositu-

CENSIVRÆ

ram, cuius cæreus inter alios eiusdem ponderis
accensus minus decresceret. Oblatis igitur tot cæ-
reis, quot sunt Apostoli, vniuscuiusq; nomine
singulis cæreis inscripto, cum is qui Diuo Iacobo
erat dicatus, minus quam cæteri absumptus fuisset,
Iaimij nomen Infanti impositum est: quod
apud Aragonenses idem est, quod Iacobus. Co-
mes autem Vrgellensis Iaimius dicebatur.

ET Ioannem, qui filiam Fernando nepoti suo despon-
dit, alteramq; Isabellam Ioanni II. Castellæ Regi,
que Alfonsi Castellæ, qui Infans vita cessit, mater fuit.

CENSURA LI.

IN hoc etiam errat. Ioannes quippe obiit anno
M CCCC XLII. Post mortem verò eius anno
scilicet M CCCC XLVII. Petrus eius frater, qui
Regni clavum tenebat, Isabellam Ioanni II. Ca-
stellæ Regi, Beatricem Fernando nepoti ex fratre
Eduardo Rege despondit.

Alfonsus autem, qui ex Ioanne Castellæ Rege
& Isabella natus est, non infans decessit, ut iste ait:
scd ètate XII annorum iam Rex Castellæ electus,
non sine scelere & magna perfidia procrum quo-
rūdam, viuente fratre Henrico Rege, & vidente.

FER.

FErnandum etiam ordinis militum de Avis Magistrū, in culpatæ probitatis virum, cui ob vitæ sanctimōe niam, in beatorum classe sedes instituta est.

CENSURA LII.

FErnandus hic Infans Portugaliæ, vitæ puritate clarus, & veræ religionis exemplar habitus est: & quem piè credendum est, frui beatorū felicitate. Inter Sanctos autem, ut hic ait, non est relatus.

HEnricum Ducem de Viseo.

CENSURA LIII.

Prepostero nascendi ordine ponit Henricum, qui ætate maior erat, quam Ioannes, & Fernādus fratres. Natus est enim Henricus anno M CCCXC IIII. Ioannes anno M CCCC. Fernandus verò anno M CCCCII. Vnde cum Rex Ioánes pater in Africam trajiceret cum filijs Edmardo, Petro, & Henrico, Ioánes & Fernādus pueri, & armis non dum vtiles, domi manserunt, & inde calamitas Fernādi ortum habuit. Cum enim vir factus fratrum gloriæ iniudisset, qui in Septēsi expugnatione magnum fortitudinis specimen exhibuissent, & equestrem ordinem adepti essent,

ne

CENSVRÆ

ne ipse degenerare videretur, Regi Eduardo fratri funestam illam in Tingim Mauritanicæ Metropolim expeditionem persuasit, vt ex eius obsidione posset aliquod decus reportare. In quo, fortunæ iniquitate, res tam male cessit, vt fusi nostri sese dederint ea cōditione, vt Septam, quam paulò ante bello ceperant, cum omnibus captiuis Sarracenis restituerét. Fernandus autem ipse obses datus est, donec restitutio fieret. Quæ conditio cum Regni proceribus non placuisse, propter maximū periculum, quod non Hispaniæ modo, sed vniuerſæ Christianæ Reipub. ex ea restitutione imminebat, insons ille Princeps crudelissimè à Sarracenis tractabatur, quò celerius Septam traderét: donec septem annis transactis, labore & moerore consumptus in captiuitate perijt, magno patientiæ Christianæ exemplo.

P. Hiliippam Erici Danie Regis vxorem.

CENSURA LIII.

PERTÆSUS hic scriptorum nostratium, de rebus nostris consuluit Vuolfangum Lazio, vt periorem: & ita cæcus cæcum duxit in istas foueas. Et vt est perficitæ frontis & audax, quod ille

ille non affirmat, pro comperto asserit. Ait enim Lazius, esse nonnullos, qui dicunt, filiam fuisse huic Regi Ioanni nomine Philippam Erico Danorum Regi nuptam. In quo illos falli, non est dubium. Vnde autem hic error habuerit originē, diuinaci coniectura mihi videor asscutus. Audierant isti, Regem Daciæ, fortasse Ericum nomine, duxisse vxorem filiam Regis Portugaliæ. Scimus enim Leonoram filiam Regis Alfonsi II. nupsisse Regi Daciæ, & Leonoram filiam Infantis Fernandi Domini Serpæ, & ipsius Alfonsi neptem primogenito Daciæ. Legerunt etiam apud Æneam Sylvium in historia Boëmica, cap. xliij Ericum Regem Daciæ, & simul Petrum Infantem Portugaliæ iuuisse Sigismundum Imperatorem, aduersus fidei hostes. Cum igitur audirent Petrum & Regem Daciæ cognatos esse, quod verbum apud barbaros tam comprehendit affines, quam sanguine coniunctos, crediderunt, Petrum alicuius Reginæ Daciæ visendæ causâ, quod soror esset, tam remota loca adiisse: nescientes illum totum ferè circumiisse orbem, ut multorū mores & vites videret: & in omnium ferè eius temporis Principum magnorum aulis fuisse.

Ioan-

CENSVRÆ

I Oannam Henrici III. Regis Castellæ coniugem ter-
tiam.

CENSVRA LV.

E T hic de stercore Lazij hanc collegit marga-
ritam: & multis modis nugatur. Nam præ-
terquam quòd Ioannes I. Portugaliæ Rex fi-
liam ex Philippa coniuge nullam habuit, præter
Blancam, quæ Infans mortua est, & Isabellam Du-
cem Burgundiæ, Henricus III. Castellæ Rex ter-
tiam vxorem non duxit: ut qui vnicam habuit
Catharinam filiam Ioannis Ducis Lancastrensis,
& Constantiæ filiæ Petri Crudelis Castellæ Re-
gis, Philippæ Portugaliae Reginæ sororem con-
sanguineam: quæ superstes fuit marito. Ioanna
vero, quæ Hérico III. Castellæ Regi nupsit, filia
fuit Regis Eduardi, arque huius Ioannis neptis.

L Eonoram, quæ nupsit Petro III. Aragoniæ Regi.

CENSVRA LVI.

E Cce aliud delirium mutuò sumptū ab Vuol-
fango Lazio. Ioánes enim filiam Leonoram
non habuit, vt superius diximus. Nec si ha-
buisset, eam Petro Aragoniæ Regi IIII. locare po-
te-

terat. Anno enim M CCCLXXXVII. quo Rex Ioannes vxorem duxit Philippam, quam vnicam habuit, Petrus ille III Aragoniæ, cum iam esset annorum LXXII, fato concessit. Duxit verò ille Petrus quatuor vxores, quarum prima fuit Maria filia Philippi Regis Nauarræ: altera Leonora Regis Alfonsi III Portugaliae filia, huius Regis Ioannis amita: tertia Leonora Federici Regis Siciliæ: quarta Sibylla humili loco nata, quam vltima iam ætate habuit.

Habuit Alfonsus Brachantie Dux ex Beatrice cōiuge filios duos, primum scilicet Jacobum Comitem de Ourem, &c.

CENSURA LVII.

Errat & in hoc. Alfonsus quippe non Iacobus fuit: qui viuo patre deceſſit. Hic ex Comite Aurenensi factus Valentiae Marchio, quo tempore deduxit Leonoram Regis Alfonsi sororem nouam nuptam, in Italiam ad Federicum III. Imperatorē. Qui verò primus Iacobus, seu Iaimius vocatus est, pater fuit Theodosij Senioris, proinus autem Theodosij Iunioris, qui nūc Ducatui præſt.

CENSVRÆ

HVIVS Alfonsi pronepos, & ex aſſe haeres eſt
Franciscus Portugalie Comestabilis, & Comes de
Vimioso.

CENSVRA LVIII.

G. Gensis do
HIC tot ſunt mendacia quoṭ verba. Primum
quo ad gradum consanguinitatis. Quod, &
ſi patrum referebat, quoṭ gradu diſtaret Fran-
ciscus ab Alfondo, ut tamen inde etiam æſtimate-
tur, quali verecundia & peritia hic egregius au-
thor fit, referre libuit. Franciscus ergo Comes Vi-
miosensis, de quo iſte agit, non pronepos, ſed
atnepos fuit Alfoni I. Brachantiae Duciſ, hoc eſt
nepos pronepotis. Huius enim Francisci pater
fuit Alfonsus Comes, qui cum Sebasṭiano Rege
moritur in clade illa Africana, auus Comes Fran-
ciscus Senior, proauus Alfonsus Epilcopus Ebo-
rensis, abauus Alfonsus Marchio Valentiae, ata-
uis Dux Alfonsus. Descendendo igitur, huius
Alfonsi Ducis Brachantiae filius fuit Alfonsus
Marchio Valentiae, nepos Alfonsus Epilcopus
Eborenſis, pronepos Franciscus Senior, abne-
pos Alfonsus Comes, atnepos hic Franciscus Ju-
nior, de quo agimus.

Quod

CENSURA LIX.

Quod verò ait, eum fuisse ex asse hæredem Alfonsi atauri, falsum est. Alfonsus quippe Valentiae Marchio sine liberis legitimis cælebs decessit, viuo patre, ad quē illius Dynastia, & hereditas delata est. A patre autē ad Fernandum secundogenitum Ducem Brachantiae, & ab eo continua successione ad hūc Theodosium, qui nunc Ducatu potitur. Alfonsus autem, qui Eborensis fuit Episcopus, Alfonsi Marchionis fuit filius naturalis, ex muliere alioqui primae nobilitatis, ē Sousarum scilicet clarissima familia, quæ Alfonsum Marchionem sibi maritum futurum credidit: ex quo Franciscus primus Comes Vimiosensis vir prudentissimus natus est, huius Fracisci auus, qui in insula Sancti Michaelis nauali prælio occubuit.

CENSURA LX.

Quod ait, Fraciscum Comitem Vimiosensem Comestabilem fuisse Portugalie, impoſtura mera est. Comestabilis enim est Theodosius Brachantiae Dux. Ad eum autem à Nonio Aluaro Pereira primo Comestibili ea dignitas hoc ordine peruenit. A Nonio Aluaro ad Infantem

CENSURÆ

Ioannem Ioannis I. Regis filium. A Ioanne ad filium Iacobum. A Iacobo ad Petrum patruelem filium Petri Infantis, qui per ea tempora à Ca-thalanis Rex Aragoniæ electus est. Ab eo ad Fer-nandum patruelem filium Eduardi Regis. A Fer-nando ad Ioannem Montis Maioris Marchioné Fernandi I. Ducis Brachantiæ filium. A Ioanne ad Emmanuelem Fernandi filium. Ab Emma-nuele, cum in Regno successit, ad Alfonsum no-thum nepotem ex fratre Iacobo Duce Viseenfi. Ab Alfonso ad Ludouicum Infantem Emma-nuelis Regis filium. A Ludouico ad Eduardum nepotem ex fratre Eduardo. Ab Eduardo ad Ioá nem Brachantiæ Ducem. Ab eo ad filium Theo-dosium, qui nunc Ducem agit.

EO in prælio quæplurimi Principes, Castellaniq; proceres occubuerunt: Portugalenses verò pauci. Primum ex Castellanis hi perhibentur, &c. Thomas Ramires de Areualo. &c.

CENSURA LXI.

QVI in memorabili eo prælio ad Aljubaro-tam, ex Castellanorum nobilitate desi-
de-

derati sunt, digni profecto glorioſa fuere recordatione, quod ante Regis sui oculos, & pro defensione Regni, quod ad ſe pertinere arbitrabantur, pugnando occubuerent. Inter eos fuit Ioannes Ramirius ab Arellano Dominus Camerorum, vir ſanguinis nobilitate, & rebus gestis per totam Hispaniam celebris, in Navarra praesertim, vbi praecela-
ra de eo memorantur. Hunc corruptor iste Thomam Ramirem ab Areualo vocat, clarissimi ſciclicet viri memoriam delens, & honestissimam mortem celans.

EX Portugalie Regno, mortuorum albo recensentur Petrus Alfonsus Pereira Magister ordinis de Calatrava.

CENSURA LXII.

ALuarus Confaluus Pereira, Hospitalis Hierosolymitani Prior, pater Nonij Aluari Pereiræ Comestabilis XXXII. filios dicitur habuisse ex diuersis concubinis, quod vxorem ex ordinis instituto ducere non poterat: qui ferè omnes patronymicum nomen Aluari habuerunt. Inter eos fuit Petrus Aluarus, qui ætate praecedebat omnes ex Irene Gonçalua natos, & ex Priore Hospitalis in

CENSURA

in Portugalia, Calatrauensis ordinis Magister à Ioanne Castellæ Rege institutus est, cuius partes fuerat secutus, & in eo prælio ad Aljubarotam cæsus. Huius nomen etiam hic corrumpit, & Petrum Alfonsum vocat contra Portugaliæ, Castellæ, & militiæ Calatrauensis annales.

Septam ciuitatem Africae antiquissimam in ditionem Lusitanorum die XIIII Augusti rededit.

CENSURA LXIII.

Errat in hoc. XXI enim die Augusti Septa capta est, non XIIII. Ita cōstat ex annalibus & antiquis monimentis. Memoriæ enim proditum est, quid Rex Ioannes singulis egerit diebus, à XXV die Iulij quo ex Olisipone soluit, ad eum Augusti XXI diem, quo ea vrbs expugnata est.

IN EDWARDI ELOGIO..

EDWARDUS regnauit annos V. & illi nupsit Leonora Fernandi I. Aragoniæ Regis & Siciliæ, Ioannisq. Navarræ soror, & Alfonsi cognomento Magni.

CEN-

CENSURA LXIIII.

IGnorat quo patre fuerint Leonora Portugaliæ Regina, & Reges eius fratres: & dupliciter errat. Fernandi enim sororem eam Leonoram esse dicit, cum tamen illa filia fuerit Fernandi cognomento Honesti, seu Antequerensis, ob debellatam ab eo ciuitatem Antequeram, eius scilicet, qui Castellæ fuit Infans, Ioannis I. Castellæ Regis filius secundogenitus, frater vero Henrici III. Deinde errat, quod inter Aragoniæ Infantes numerat Fernandum, cum iij fuerint Alfonsus Rex Aragonensis & Neapolitanus, quem vocant Magnanimum & Sapientem, Ioannes qui Nauarræ fuit Rex, postea Aragoniæ, Fernandi Catholici pater, Henricus Magister militiæ S. Iacobi, Sanctius Magister militiæ Alcantarensis, Petrus, qui in Italia bombardæ iactu perire, Maria Ioannis II. Castellæ Regis vxor, Leonora huius Eduardi Portugaliæ Regis coniunx.

IN IOANNIS II. ELOGIO.

IN matrimonium sumpfit Ioannes II. Leonoram Infantis Fernandi patrui filiam, quæ peperit Alfonsum Princ

Principem, cui Isabella Fernandi V. Regis Aragonie filia obtigit.

CENSVRA LXV.

NON bene numerat Reges Aragoniæ. Ferdinandus enim ille, qui Catholicus primus omnium, Summi Pótificis, & Patrum decreto ob Granatam debellatam appellatus est, secundus fuit Aragoniæ Regum eius nominis, nepos scilicet eius Fernandi, qui ex Castellæ Infante, & Duce Penafielensi Rex electus est, & eius nominis fuit primus. Respectu verò Castellæ Fernandus ille Catholicus Quintus fuit, quemadmodum hodie Augustissimus Rex noster PHILIPPVS respectu Aragoniæ & Portugaliae Primus est, ratione verò Castellæ Secundus, & Quartus Nauarræ. Et in tota Hispania cuius dominium nunc adeptus est, Primus dicetur. Sic & Carolus Cæsar eius pater, qui Quintus erat in Germania, Quartus erat in Nauarra, Primus in Aragonia & Castella. Ita autem simpliciter vocat Fernandum Aragoniæ Regem, quasi non fuerit idem Castellæ, Legionis, Siciliæ, & multarum prouinciarum Rex.

IS in hymenæo filij sui Alfonsi, cui Isabella Fernandi III. Regis Aragoniæ filia prima, &c.

CENSURA LXVI.

Stans pede in vno, quod modò dixit, modò negat. Supra enim dixerat; Alfonsum Principem duxisse Isabellam filiam Fernandi V. Aragoniæ Regis, nunc filiam Fernandi Tertij: & utrobiq; errat, vt diximus. Nam nec Tertius, nec Quintus fuit in Aragonia.

IN EMMANVELIS ELOGIO.

Habuit & Ludouicum primæ strenuitatis Principem, cuius splendor alios suæ etatis heroës post terga longe reliquit, &c. In quo summum virtutis & religionis Specimen, tantis laudibus excelluit, vt orbis Imperio dignissimus videretur, &c. Cui matrimonio non accessit, quod (vt multi nobilissimi ac religiosi authoritate summa digni affirmarunt, & per publicam sententiam, ab Emmanuel de Almada Angrensi Episcopo, & ordinis Sancti Ioannis de Maltha iudice Apostolico determinatum fuit) uxorem haberet occulte & privatam, ex qua filium unicum suscepit Antonium, &c.

CENSURA LXVII.

FVIT profecto Ludouicus, non diffitemur his virtutibus, & multò maioribus cumulatissi-

M MUS.

mus. Quomodo igitur nobis persuadere conatis,
 Principem ingentis spiritus, & cui eo tempore
 Regnum videbatur parari, quod Ioannis fratris
 liberi omnes in cunis fato cedebat, matrimonium
 contraxisse cum puella tam dispari loco nata, in
 summa orbitate & egestate constituta, ut Regina
 etiam, si fara sinerent, futura esset? Quis tam he-
 bes, ut credar, adolescentem Principem florentissi-
 mum, non potuisse vnius puellæ pudicitiam ex-
 pugnare vi, aut machinamentis alijs, quando au-
 ro, cui omnia obediunt, non posset? Cöcedamus
 eam fuisse castissimam: nec enim aliquis negat.
 At sub imperio matris erat, è cuius voluntate res
 pendebat. Quæ etiam ut propositi honestissimi
 foret, qui poterat tot pollicitationibus, nuntijs, &
 internuntijs, & Principis cupiditati resistere? Fuit
 profectò Ludouicus vir magnanimus, & fortis,
 & qui tam impari coniugio Regium sanguinem
 non erat dedecoratus. Scio tamen non defu-
 ros, qui nobis illud occinant poëtarum, amore
 omnia vincere. Vincit, fatemur, iuuenes, ut amet,
 ut cupiditate flagrent. Quotusquisq; enim iuue-
 num sine amore est? Sed non omnes cogit, ut se-
 in dedecus præcipitent. Alios verecundia, & im-
 paritas fortunæ cohibet, alios parentum reueren-
 tia,

tia, alios amplitudo dignitatis, alios dotium tenuitas, & paupertatis metus. Plenæ sunt Comœdiæ Pamphilorum & Cliniarum, qui cum vehementer amarent, non amatas ducunt vxores, nisi postquam ciues Atticas esse comperierint. Et Ludouicus Princeps tam elati spiritus, & verecundus, eam duxisset vxorem, cuius amore impune posset potiri, si vellet? Nec vereretur fratrem Regem, sororem Augustam, sororium Imperatorem, cognatos & affines Reges omnes Christiani orbis? Non deniq; totum paternum Regnum: non domesticos viros nobilissimos, qui tam dispari dominæ erant seruituri?

Nec profectò tam insolitū foret Principi adolescēti, vnam ad stuprum puellam rapuisse, quam toto orbe cantari: Ludouicum Regis Emmanuelis secundogenitum, cui tunc ad Regni fastigium nihil deerat, nisi vnius hominis fatum, tam indecens iniisse coniugium. Amabat Infans Petrus Portugaliae Rex futurus Agnetem à Castro virginem pulcherrimam, & sibi Regij sanguinis necessitudine coniunctam: cumq; iam Fernandum heredem Regni haberet ex Cōstantia uxore morte functa, ne amor in coniugium desineret, eam Lusitani crudeliter necarunt. Duxerat ante illum

Sanctius II. Rex Mitiam Cantabriæ Dynastæ filiam sibi sanguine propinquam. Eam tamen disparitatem, quod filia Regis non esset, tam indignè tulerunt nobiles nonnulli, ut eam è mariti amplexibus extractam, in Castellam exterminauerint. Et auderet his exemplis Antonij mater, in florentissimo illo Lusitanæ Regni statu, Regis Emmanuelis secundogeniti tanta animi magnitudine, ut tu fateris, prædicti, & in quo omnium spes. sitæ erant, sperare nuptias? Quis tam duri oris, qui hæc affirmet? Quis tam hebetis ingenij qui credat?

Quod si illa tanti animi fuit ut Ludouico in ditionem non venerit, nisi prius eam vxorem duxisset, cur ducta, quando iam radijs mariti fulgebat, & diuinæ & humanæ domus particeps erat, matrimonij non implorauit fidem, quæ coniugium tam obnoxie procurauit? Cur in monasteriorum sine querela vlla se detrudi consensit? Cur sc religionis voto authorauit? Si ea per matrimonium ad Infantis dignitatem euecta est, cur eius matrem, socrum iam scilicet, sorores, & propinquos, quos iam Ludouicus habebat affines, in pristina humilitate & tenuitate degere Princeps alioqui magnanimus, & liberalis passus est?

Eo

Eo profectò pudore fuit Ludouicus, vt (si quis de rebus humanis vita functis sensus adest) nulla maiori potuerit affici iniuria, quam qua Antonius, & eius asseclæ eum affecere. Eo etiam pietatis studio & religionis, vt si eam mulierem sibi matrimonio copulasset, nunquam ab ea esset discessurus,

Quòd si hic, quem tu tam pium fateris, vt quāuis in corpore maneret, animo tamen in cælo plerumq; versaretur, tam ab hac pietate, honoris & existimationis causa, deuiauit, cur saltem moriens rem gestam non declarauit? Solēne est mōrientibus, ex illegitimis filijs legitimos facere, & ex concubinis vxores. Quis igitur credat, cum è conuerso, toties in testamento nuncupasse Antonium filium naturalē, qui legitimus esset: & eam velle pro concubina haberi, quæ iustis nuptijs sibi esset copulata? Scimus enim omnes, eum Antonium maximè dilexisse, cui moriens non cedendus erat, contra commune parentum votum, damni causam dedisse, vt falsa naturalis filij appellatione, eius castra & regalia bona ad fiscum deuoluerentur, quando sine liberis legitimis cedebat. Furtum profectò erat, & falsi crimen, cœlare iustas nuptias, & filium hæreditate priuare,

con-

contra iuris naturalis rationem, quæ veluti lex
quædam tacita, parentum hæreditatem liberis ad-
dicit. At nemo est qui nesciat religionem, & pi-
tatem Ludouici, & conscientiæ tam exactum exas-
men, ut iam ad superstitionem nonnullis tende-
re videretur. Non igitur credendum est, eum
vxorem habuisse, nec si haberet id celaturum
etiam post mortem, in suæ animæ perniciem,
& in Antonij dignitatis & utilitatis detrimen-
tum.

Nullum autem huius rei certius & magis euī-
dens testimonium est, quam quod Antonius, vir
animi vehementis, & plus nimis audacis, viuen-
tibus Ioanne & Sebaltiano Regibus, ad legitimi
statum nunquam proclamauit, ut patris hæredi-
tatem & feuda adipisceretur. Tentauit autem id,
cum Henricum Regem orbum, morbo & senio
imbecillum, & penè confectum, nec ob rigorem
ingenij & vitam seueriorem, laxioris vitæ homi-
nibus satis charum, & plebeni Regis inuenis de-
siderio solicitam atque mœstam vidit, & multos
ex plebis fœce ad res nouas moliendas commo-
tos: ut fieri solet quando Respublica vacua, aut
deserta esse videtur. Cui profectò gloriiosius erat,
eius Principis naturalem esse filium, qui cum
mag

magna laude, & decore se gesit, vt filium tanti Regis decebat, quām legitimū eius, qui tam abiecti fuisset animi, vt pro vna explenda libidine, tam humili coniugio se & suos dedecorasset.

Quām verum igitur fuerit illud matrimonium, sententia toti orbi nota, ostensum est. Cum enim pendenti iam causa successionis huius Regni inter competitores Principes, Antonius clanculum nemine ex ijs citato, quos ea res tangebat, per equitem sui ordinis, hoc est Hospitalensis, domesticum suum, nulla ei ad id mandata iurisdictio ne, se legitimū promuntiari fecisset, & justas fuisse Ludouici Infantis cum eius matre nuptias, certus de ea re Summus Pontifex, motu proprio, Henrico Regi causam discutiendam, & deciden dam commisit. Fidebat enim Regi, Cardinali, & & ipsius Antonij patruo. Hic (ne lōgum faciam) assūptis assessoribus viris non solū nobilitate, sed etiam eruditione, & morum integritate clarissimis, Archiepiscopo Olisiponēsi, Episcopis Lei riensi, Mirandensi, & olim Viseensi nunc aulicorum Sacerdotum Antistite, & quinque Regijs cōfiliarijs iurisprudētissimis, Antonio citato, & au dito, & sua iura allegati, & ijs omnibus, ad quos

res

CENSVRÆ

res ea pertinebat, matrimonium inter Antonij parentes non fuisse, & ipsum illegitimè natum protulere. Hæc igitur sententia rite & rectè à tot competentibus iudicibus, tantæque authoritatis publicè lata, quo modo te frater Iosephe potuit latere, qui te omnium rerum, quæ Henrici & Antonij tempore gesta sunt, non auritum modò, sed oculatum testem paulò ante affirmaueras? Eo igitur te perduximus, ut aut mendax sis iudicandus, qui ea tam publica de patrono tuo oculatissimus omnium testis non noueris, aut falsi & stellionatus crimine damnandus, qui hæc celasti, & falsa pro veris nobis obtrusisti.

L Vdonici subsidio, Carolus V. ciuitatem Tunetum, quod est Regni caput, & secundum historicos antiqua Carthago, à Mauris suscepit.

CENSURA LXVIII.

TVnetum & Carthago diuersæ sunt vrbes, nec ullus historicus est tam imperitus, qui vnam & eamdem ciuitatem esse affirmet. Tunetum autem à Carthaginæ duodecim millia passuum distabat, & fuit post deletam Carthaginem conditum. Hodie est caput Lybici Regni. Carthaginis solum

ap.

apparent ruinæ, quæ tanta magnitudine, opulen-
tia, ædificiorum pulchritudine, & magnorum vi-
rorū vbertate fuit, ut Romæ magna fuerit emula.
De qua satius duxit Sallustius tacere, quam pauca
dicere.

Habuit Emmanuel Catharinam, & Antonium, qui
in cunabulis obierunt.

CENSURA LXIX.

Maria dicta est. puella hæc, non Catharina.

Eduardo Emmanuelis filio matrimonio iuncta est
Isabella, Ioannis Brachantiae Ducis filia.

CENSURA LXX.

Ioannem vocat, qui Iamius seu Iemetius est, cū
idem sit, quod Iacobus, vt supra diximus. Cum
enim Diui Iacobi fanum à multis diuersarū na-
tionum hominibus visitetur, variè vocant, vt cu-
iusq; natio est. Alij enim Iacobum, alij Iaquem,
alij Iacomem: nonnulli Didacum, nunc Diam,
Diecum, Diodocum, Iodocum, Iamium, seu Ie-
mem. Inde Hispani diuersimodè efferunt, cum hec
omnia in unum Iacob nomen tendant.

N

Ter

CENSVRÆ

Tertiam vxorem Emmanuel duxit Leonoram, ex
qua filiam vnicam habuit Mariam.

CENSVRA LXXI.

NON fuit vnica Maria. Peperit enim Leonora
ante illam puerum, quē in gratiam auū-
culi Imperatoris Carolum nominarūt: qui natus
Eboræ XVIII die Februarij anno MDXX dece-
sit Olisipone XV die Aprilis, anno MDXXI.

IN IOANNIS III. ELOGIO.

Ioannes III. vxorem sumpfit Catharinam Caroli V.
Imperatoris sororem, ex qua hos liberos habuit, Alfonsum,
Catharinam, Beaticem, Emmanuelem, Philippum,
Antonium, & alterum Alfonsum, Ioannem Principem.

CENSVRA LXXII.

NON sat habuit historias huius Regni corrū-
pisse, nomina etiam Principum corruptit
& mutat: alios addit, qui in rerū natura non
fuere, alios celat, ut sic veritas confundatur, & obf-
curetur. Ioánes enim duos Alfonsos non habuit,
sed vnum: nec filiam ullam Catharinam. Hos au-
tem sustulit mares: Alfonsum, Emmanuelem,

Phil.

Philippum, Dionysium, Ioannem, Antonium. Fœminas habuit Mariam, quam iste de industria omisit, Principem multis nominibus laudatissimam, nuptam PHILIPPO Hispaniarum Principi Caroli V. Imperatoris filio hæredi, & matrem vnius Infantis, quam ignorare non poterat. De ea autem siluisse, non flagitium, sed piaculum erat. Habuit etiam Ioannes ex Catharina Isabellam, & Beaticem, quæ puellæ obiere.

IN SEBASTIANI ELOGIO.

IN Africa cum Rege Marrochiorum Mulei Mahamet, cui subfido futurum conscriperat exercitum, simul cum Mulei Miluco, qui ab eodē Mulei Mahamet Regni clauum acceperat, &c.

CENSURA LXXIII.

MVlei Malucus, qui priuatam vitam agebat, nobilium defectione, Mulei Mahamet ne potem ex fratre, Regem potentissimum Regno spoliauit: nec ab eo Regni clavum accepit, ut iste ait, sed extorlit: & eum in exilium ire coegit. Acciperet autem, si Malucus illi Regnum sponte obtulisset.

CENSURA

Sebastianus vitæ suæ summam totam percurrit V.
die Augusti, anni M D L X X V I I I.

CENSURA LXXXIV.

TAM funesta fuit quarta illa Augusti dies
Africanæ cladis, vt non hoc tempore, quo
recens adhuc eius calamitatis memoria est,
sed futuris sæculis, semper dira, nefastaq; recur-
ret: & à Lusitanis nigro notanda lapillo. Hic au-
tem veridicus scriptor, tam breui eam quintam
fuisse diem, nobis narrat.

IN HENRICI ELOGIO.

Natus est Henricus anno M D XII. die prima Fe-
bruarij, qua etiam mortuus est, luna eclipsim pa-
tiente anno M D L XXX.

CENSURA LXXV.

Errot hic in horoscopo Regis Henrici, ge-
nethliacis & astronomis non parui momenti
esset. Natum enim dicit prima die Februarij, qui
vltima Ianuarij in lucem prodijt. Et mirum certè
est, qui se superiùs iactauerat, omnium quæ Hen-
rici tempore acciderunt, fuisse testem oculatum,

fu-

fugisse eum rem tam notabilem, quāta est vnius Regis sine liberis excessus, de cuius successione tam ingens disceptatio sperabatur futura: & è qua pendebat, esset ne futurus frater ipse Iosephus Regis concionator, an Prioris Cratēsis. Mendacium igitur hoc inexcusabile est, tanī circa Henrici natalē, quām circa lunæ defectionem, quæ secundū astrologorum ephemeridas, per rerum naturam, vltima die Ianuarij necessariò futura erat.



V O D verò eorum scopus, qui hanc de genealogia Regum Portugaliæ plantarunt arborem, fuit per machinationem quamdam exteris hominibus obrepere, & persuadere, Portugaliæ Regnū populorum suffragijs, & electione dari solere, credentes scilicet, hoc pacto, Antonij causam non excusabilem modò, sed etiā (si Dijs placet) iustum fuisse, seorsum respondendū ad ea duximus. Electos autem à populo aiunt fuisse Alfonsum Regem I. Alfonsum III. Ioannem I. Alfonsum V. Emmanuelem, Henricum & ipsum Antonium. Quod quām falsum sit, & apud nos ridiculum, ex persona cuiuscq; demonstrabimus.

CENSURA LXXVI.

IN primis quoad Alfonsum I. attinet, quid ab
I surdius dici poterat, quam eum, qui Portuga-
liæ Princeps erat, à militibus suis, in quos vitæ ne-
cisq; ius habebat, nomen & dignitatem Regis ac-
cipere potuisse? Vulgatum iuris axioma est, ne-
minem suam rem utiliter stipulari posse. Quid
autem milites illi in Alfonsum noui contulere,
quod tunc penes illum non esset? Transtulerat
Portugalij populus in Alfonsum Imperatorem,
& ante in eius maiores, ius omne suum, imperiū,
& potestatē: ille in Tarasiam filiam, & Henricum
Comitem: ij in Alfonsum suum iure legitimo
successorem. Quid ergo apud populum reliquū
erat, quod in Alfonsum possēt amplius trāsferre,
ciuitates ne, oppida, aut castra? Ea Alfonsus non
populus habebat. Regis dignitatē non poterāt:
superioris enim illud munus erat, non inferio-
ris, non subditi, non vassalli. Utendum enim est
in re noua, nouo vocabulo. A Rege igitur Legio-
nenſi, qui Comitem crearat, Regem dici permit-
tendus erat, qui Rex fieri vellet: vel à Summo Pō-
tifice, si se clientela exemptum assereret. Notissi-
mi etiam iuris est, inter innumera, quæ in perso-
narū electionibus ad dignitates aut magistratus

requituntur, duo esse capitalia, rem scilicet, quæ
vacet, & electorum arbitrium liberum conferen-
di, in quem velint. Quæ igitur electio ea erat, vbi
nec res erat, quæ daretur, nec qui cōferre posset?
Quid ergo milites illi egere? ad augustius & ho-
norificentius nomen sumendum, consilio & pre-
cibus Principem suum impulerunt, non imperiū
maiis, aut efficacius concederunt, apud quos ni-
hil potestatis erat reliquum. Cum enim Alfonso
nihil ad Regnū, nisi solum nomen deesset, quod
ditione Reges æquaret, & Henricus pater adeò se
à Legionensis Regis iugo exemisset, vt urbem
Asturicam, & nonnulla oppida vi cepisset, duces
exercitus eum adhortati sunt, quando cum Regi-
bus pugnam cōmissurus erat, vt Regem se appellari
pateretur, magnumq; hoc ad pugnandum in-
citamentum futurū. Respuit Alfonsus cōsilium,
sed tandem precibus victus, Regem se dici, & ac-
clamari passus est: non quod electus ab illis fu-
set, qui nec ditione, nec dignitate dominū auge-
re poterant. Quod verò Regia ea dignitas nulla
authoritate suffulta erat: quod id nec à suo, nec à
suorum arbitrio poterat pendere, ab Alexandro
III. Summo Pontifice Regiam sibi, posterisq; im-
petrauit dignitatē. Quod quidē creatio & augmē-
tum

tum fuit dignitatis, non ad dignitatem electio,
aut electionis alicuius confirmatio. Adeo autem
verum erat, non potuisse Portugalenses eo tem-
pore Regem sibi eligere, ut si Alfonsus eo prelio
occubuisset, & res ad eum statum redacta videre-
tur, quo populus iure omnium gentium, sibi Re-
gem creare posset, illis tamen non liceret, quod
Legionensis Regis beneficium Portugalia erat, in
cuius potestatem recidebat.

CENSURA LXXVII.

Quod verò Alfonsum III. tam in arbore de
genealogia, quam in libello electum fu-
isse ait à populo in gubernatorem, & po-
stea in Regem, falsissimum etiam est, & contra
annualium & literarum Summi Pontificis fidem.
Notum siquidem est, non Lusitanis modò, sed
& toti orbi ob cap. Grandi, de suppl. negl. Prelat.
lib. 6. quod ex ijs literis sumptum est, quia San-
ctius remisso esset animo, & socordi, & omnia ad
libitum Mitiæ vxoris, & sceleratorum quorūdam
nobilium in Regno fierent, ex quibus populus
miris afflictabatur modis, nec monitiones Hono-
rii III. & Gregorij IX. Summorum Pontificum,
nec

nec etiam factorū interdictiones quicquam proficerent, Innocētium III. in Concilio Lugdunēsi, querelis Ioannis Archiepiscopi Brachatensis, Tiburtij Episcopi Cōimbricensis, Roderici Gometij Briterij, & Gometij Villegæ nobilium virorū cōmotum, Alfonsum Comitem Bononiēlem frā trem germanum Regis Sanctij, virum prudentē, & magnanīmum, adde & fratrīs hāredem legitiūm, quiod Sanctius liberis careret, illi vicarium dedisse, ut Portugaliæ Regnū gubernādum, & cūdum susciperet. Erat tunc in Gallia notissimus Alfonsus, tum propter Regij sanguinis splendorem, tum quodd ei paulò ante Summus ipse Pontifex, ad expeditionē belli Syriaci, quam parabat, diplomata ducibus crucigerorum dari solita cōcesserat. Cum verò Lusitani ea sint natura, ut Regem semel suscepturn nūquā deserant, sciebat Alfonsus, etiam in tantis calamitatibus, populum, qui in Sanctij verba iurauerat, sibi non obtemperaturum. Literas igitur longissimas illas quidē ad populos Portugaliæ, ab Innocentio impetravit, quas nos in ipsis Regijs scrinijs vidimus, quibus Sanctum Regni administratione interdicebat, & interminationibus, & pœnis populum Portugaliæ, ad Alfonsi obsequium cogebat, & arcium

CENSURÆ

custodes ut Alfonso castella traderent, & fidelitatem ei iurarent, Archiepiscopo Bracharenſi, & Conimbricensi Episcopo iniungens, ut pœnis, & ecclesiasticis censuris, eos ad ipsius Alfonsi obedientiam compellerent. Præter has, alias in Regio archiuo vidimus literas de eadem re, ad populum Portugaliæ, quibus idem Pontifex Inno-centius, illius causæ executionem, vniuersis fratribus Franciscani ordinis eius Regni, mandabat. Frater etiam Desiderius vir magna religione & doctrina, legatus missus est in Portugaliam, qui Summi Pontificis nomine, totius Regni arcis Alfonso tradēdas curaret, & earum custodes in eius verba iurare cogeret. Tantæ molis videbatur, viuo Sanctio, Lusitanos alium eius loco velle Re-storem. Nec aliquis ferè ex Portugaliæ proceribus, aut arcium Præfectis inuentus, qui non expectata obsidione, aut Pontificis interminatōnibus, Alfonso obediret, aut castello eum vellet recipere. Tanta constantia, sui Regis, qualis qualis erat, ius iniuiolatum volebant. Vnde cum Martinus quidam Fernandus Taidius, Leiriensis arcis Præfectus, acceptis ab Alfonso muneribus, eum sua sponte, & non expectata vi aliqua, castello excepisset, apud nobiles illius temporis
ma-

magnam subiuit infamiam. Multi autem fuere, qui nec obsidione, nec sacrorum interdictione, nec vllis adducti minis, castella tradidere, Sanctio incolumi. E quorum numero fuit magna animi constantia, & fidelitate vir, Martinus Fle-
ctius Conimbricensis arcis Praefectus, de quo non longa videri debet narratio. Obsesus is ab Alfonso longo tempore, usque ad famis & sitis ex-
trema perststit: nec vllis promissis, precibus, aut
minis adduci potuit, ut à proposito desisteret.
Alfonsus perspecta hominis constantia & fideli-
tate, propter quam eum saluum volebat, ubi pri-
mum de morte Sanctij fratris nuntius allatus
est, ab exercitu mittit obsesis ad vietum neces-
faria, quibus diuturnam famem, atque sitim de-
pellerent, & literas ad Martinum de morte Re-
gis. Ille initis inducijs tanti temporis, quanto
Toletum ire, & inde redire valebat, ut proprijs
oculis veritatem indagare posset, Toletum iuir,
& audita morte Sanctij, non credidit officio sa-
risfecisse, nisi claves ei, à quo illas acceperat, tra-
didisset. Sepulchrum aperuit, & agnito Regi cla-
ues brachio suspendit dextro, & à presenti nota-
rio, instrumentum rei gestæ accepit. Reuersus
Conimbricam, arcem Regi Alfonso tradidit.

Ille tam constanti fidelitate laudata, claves Martino offert, eumque Conimbricensis arcis custodem, posterosque suos in perpetuum constituit, ea prærogatiua, ut nunquam iuriandum ab eis fidelitatis exigeretur, in tantæ fidei memoriam. Martinus gratijs Regi actis, beneficium non accepit, liberis & posteris suis dira imprecatus, si unquam arcem tuendam à Principe aliquo suscepissent. Quo igitur ore isti audent affirmare, Alfonsum populi suffragijs, in gubernatorem fuisse electum, qui tot obsidionibus oppidorū, tot interdictis sacerdotum, & execrationibus Pontificum, tam difficulter admissus est?

Tempore vero quo Sanctius è vita sine liberis excessit, cum Alfonsus in possessione Regni esset, quod pannis olim fuerat, modò fratris, quid opus erat populi suffragijs in Regem eligi, qui fratris proximus erat agnatus, & legitimus successor, ut in eodem capit. Grandi, Summus ipse Pontifex declarauit? Mandamus (inquit) quatenus nobilem vi-
rum Conitem Boloniensem præfati Regis Portugalie fratrem, de deuotione, probitate, ac circumspiecione multi-
pliciter commendatum, qui eidem Regi, si absque legitimo decederet filio, iure Regni succederet, quicq; examina-
tus, &c. Quæ igitur electio futura erat de illo, qui
iu-

iure gentium, ciuili, & Lusitanorum, erat ad successionem fratribus vocatus, & Summi Pontificis decreto declaratus? Ait quo iure, qua potestate, Lusitani, nisi Alfonso, in eo rerum statu, poterat Regnum deferre? Cum indubitati iuris sit, & omnium Doctorum sententijs comprobatum, in Regno ad millesimum cognitionis gradum debere produci successionem?

CENSURA · LXXXVII.

Quod verò ad Ioannis I. electionem attinet, nemo est qui non intelligat, si modo nostrarum rerum omnino expers non sit, & rem ad amissim expédat, non per iustam electio- nem aliquā, eum ad Regnum peruenisse, sed per meram vim & armorum iudicium. Qui enim ex nobilibus eum in Regem elegerunt, excepto No- nio Aluaro Pereira eius Achate, pauciores nume- ro, & conditione minores erant, qui aut libertatis amore, aut studio rerum nouarum tenebantur, Plures verò, & dignitate præstantiores, militariū scilicet Magistri, Comites, & arcium Praefecti, & qui Regalia, quæ vocant iura, aut vectigalia possidebant, cum omnibus ferè ciuitatibus, Oli- sipo.

sipone dempta, Ioannem Régem Castellæ Domini
num, & Principem suum legitimum agnoscebát,
& in eius verba iurarunt. Verebantur enim, si à
potentiori deficerent, ea omnia amitterent, quæ
à Lusitano Ioanne se cōsecuturos non certò spe-
rabant. Illusoriam etiam eam electionem iudica-
bant, in qua omnia deerant requisita, tam circa
personas, quam numerum electorum, & causas
eligendi.

Vbi verò prælio ad Aljubarotam commisso,
Ioannes Lusitanus victoriā adeptus est, & Ioá-
nes Castellanus Rex aciem deserens, in Castellam
contendit, adeo suorum animos consternauit, ut
multi, seu metu victoriae, seu more hominum, qui
se eo quo fortuna inclinant, plériq; Lusitano se
dedidere: nonnulli in Castellam immigrarunt:
alij arcibus suis, & castellis se tutati sunt, à Castel-
læ Rege præsidium expectantes. Quod eo bello
fractus, cum non attulisset, paulatim in Lusitani-
ditionem, & potestatem venerunt: atq; ita rerum
potitus est. Absurdum est igitur & ineptum, di-
cere, iure electionis eum fuisse Regem, cum ius
in armis positum fuerit: & idem obtinuerit, ab ijs
paucis electus, quod sine electione obtenturus
erat. Hoc verò Dei iudicio, & Ioannis Regis &

pro-

procerum Castellæ periurio Lusitani imputabat, qui iuriandum contemnentes, quod, manibus tacta sacratissima corporis Christi hostia, conceperunt, pacta cum Fernando & nobilibus Portugaliæ inita fregissent, & aduersus conuentionem arma sumpsisset: atq; ab Urbano VI. vero Christi vicario deciscentes, Clemétem Pseudopapam secuti, piorum cœtu essent moti. Quare victoriâ illam diuinitus contigisse, creditum est: & nouis ob id votis, se ciues Olisiponenses obligarunt: quæ ad huc quotannis publicè soluuntur. Ea enim Castellani exercitus amplitudo erat, ea Lusitanorum semiermium paucitas, qui sub Rege suo pugabant, ut sine miraculo vicisse, non credibile fuerit visum.

Quod si legitimè eum quis electum fuisse contendat, nullo exemplo magis apertè conuincitur, Portugaliæ Regnum non solere populi suffragijs deferri, in defectum descendantis ab ultimo posseffore, si aliquis ex cognatis à latere extare contigerit: nisi eo solo casu, quo nec descendentes, nec cognati reperiantur. Illis enim Comitijs Conimbricæ habitis, in quibus Ioannes electus fuit (ut ex annalibus constat, & ex ipso electorum decreto, quod in Regio vidimus archi
uo)

uo) electores testati sunt, ideo se Ioannem in Regem elegisse, quod Fernandus Rex sine sobole legitima, & sine cognatione obiisset. Vnde iure gentium potuisse populum sibi Regem, aut Rectorē eligere, quem vellet, asserebant. Dicebant enim & meritò, Beaticem filiam Fernandi adulterio & incestu fuisse conceptam. Notum quippe erat, Leonoram iustum fuisse vxorem Ioannis Laurentij Cugnæ, à quo reclamante Rex eam iam duorum filiorum matrem abduxit. Ipsum etiam Ioanem Laurentium, Fernando intra quartum consanguinitatis gradum fuisse coniunctum. Ioanem verò & Dionysium Regis Petri filios, & Fernádi fratres, qui ad Regem Castellæ transierāt, nothos fuisse, ut quos ex Agnete à Castro concubina, & sanguine propinqua Petrus sustulisset: præterea hostes nominis Lusitani & perduelles, ut qui hostili manu cum Ioanne Castellæ Rege, & ante cū patre Henrico, in Portugaliæ fines populabundi excurrissent, grauiaque dama & cedès suis ciuibus intulissent. Quocirca etiam si legitimis quæsiti nuptijs fuissent, quod se hostes & alienos à Portugalia declarassent, non potuisse eius Regni successionem adipisci. Multa præterea adducebant, quibus eos Regni successionis incapaces ostenderunt.

runt. Credentes igitur, se ad eum redijisse statum, quo iure omnium gentium possent sibi Regem creare, Regno scilicet vacuo, Ioannem virum fortissimum, & de Repub. optimè meritum, è Regū Portugalię stirpe prognatum, Regis videlicet Petri filium, Fernandi recens defuncti frātrem, Regem sibi eligere posse, dicebant,

Non est igitur cur isti dicant, Ioáñem electio-
ne populi fuisse Regem, ea ratione quòd Fernan-
dus sine descendenti hærede decepit: quasi si co-
gnatos haberet, populo ius etiam electionis com-
petisset. Quod quidem contra ius omnium gen-
tium esset, & contra Doctorum omnium senten-
tias, qui (ut superius diximus) ad Regnorum suc-
cessiones, iura sanguinis, vsque ad omnes remo-
tissimos gradus, valere dicunt.

CENSURA. LXXIX.

Quod etiam addunt, Eduardi Regis postu-
latione, à populorum conuētu impetratū,
ut Alfonsum primogenitum in Principe
eligerent, ob fratrum dissidia eius morte vitāda,
id mera calūnia est, qua impostores isti fortissi-
mos, & sanctissimos viros infamant, de quorum

P fide

fide nunquam frater Eduardus dubitauit. Nec enim ullum fidelitatis & obedientiae exemplum tam nobile, quam illorum Principum in Regem puerum fuit. Nec Petrum excipio, quod inimicorum calunijs perfidiae falso sit insimulatus. Omnia vero perperam fabulator hic, causae suae fauens, narravit. Sine conuentu enim populorum, & nullis habitis Comitijs, instituit Eduardus ut Alfonsus eius primogenitus, Princeps deinde diceretur. Prima quippe Comitia ab Eduardo indicta fuisse, post Ioannis patris exequias, ad quas populorum legati, antistites Regni, & proceres conuenere, certum est: quo tempore Alfonsus Princeps iam dicebatur. Sintræ enim, cum Infantes post patris mortem, & ante Comitia, Alfonso puero fidelitatem iurarunt, Princeps à patre vocatus est, ut ex annalibus nostris constat. Cum verò Alfonsus primogenitus Eduardi esset, & legitimus Regni successor, qui poterat populus eum eligere, ni posset etiam Regnum alijs deferre? Ea enim electorum potestas est, ut è multis cui velint dignitatem conferre possint, qualis est illorum, qui Romanum eligunt Imperatorem. Ius iurandum verò fidelitatis, quod à populorum conuentu exigitur, obligatio est seruendi, non potestas eligendi. Quid enim

Prin-

Principatus nomen dignitatis auxit in Alfonso, quod antea non habuisset? Aut in quo Infans primogenitus à Principe nisi nomine nudo differt? Occasio autem mutandi dignitatis nomen, à cōsuetudine, quæ in alijs Hispaniæ Regnis inoleuit, nata est. Ad imitationem enim primogenitorum Regum Angliæ, qui Principes Gaulis, & Gallorum, qui Delphini Viennæ appellabantur, Ioannes I. Castellæ Rex, Henricum eius primogenitum Principē Asturiarum dici instituit. Hoc secutus filius illius Fernandus, eius nominis Primus Aragoniæ Rex, Alfonsum primogenitum, Principem Getundæ voluit appellari. Carolus etiam III. Nauarræ Rex nepotem suum Carolū Regni successorem futurum, Viennæ Principem nuncupauit. Quare Eduardus Rex Portugalie, qui solus ex Regibus restabat Hispaniæ, ne filius Alfonsus diuerso appellaretur vocabulo, omisso antiquo Infantis nomine, vocari eum iussit Principem Portugalie, sine vlla populorum opera, aut consensu. Quid enim hoc ad populum? Si quid etenim ea appellatione dignitatis Alfonso accreuiisset (quod dicendum non est) nullo iure id à populis conferri poterat, nisi à Rege, cui à principio se, suaq; omnia tradidere, & in quem ius

suū, & omne imperiū, & potestatem trāstulerunt.
 Quis enim tam imperitus rerum est, qui non intellegat, cum Reges dare leges, non accipere conueniat, ab ijs tanquam à fontibus, nobilitatis & dignitatis iura ad populum, & non è cōnuerso à populo ad Principes promanare? Vnde cum ea dignitas ab authoritate, aut consensu populi non pederet, vbi primum primogenitus in lucem edebatur, in quolibet Hispaniæ Regno, etiam si ei fidelitate in populus nondum iurasset, Princeps vocabatur, siue masculus, siue fœmina esset, & morte illius secundogenitus: quod hodie in consuetudine positum est. Proterui igitur hominis est, asserere Alfonsum, cui nascenti ius, & spes Regni statim deberi cœperunt, à populo fuisse electum, cuius successio à subditis suis non potuit pédere, cum iuramētum fidelitatis, quod ab eis exigitur, seruitij signum, non potestatis sit.

CENSURA LXXX.

DE Emmanuele Rege quod aiunt, populi suffragijs fuisse electum, similis impudentia & impostura est, ut exteris, qui nostra ignorant, persuadeant, in Portugalia tot fuisse Regum ele-

ctio-

c̄tiones, quot ex Regibus sine liberis deceſſerint:
 credentes scilicet, perfidiā suam posſe huiusmodi
 celare mendacijs. Qui enim Regis Eduardi ncpos-
 erat ex filio Fernando, & Ioanni ſine legitima fo-
 bole deceſſeti proximus agnatus, vt qui patruelis
 erat frater, nullis indigebat populi ſuffragijs.
 Precedebat enim Emmanuel ſorores Leonoram
 Reginam, & Isabellam Brachatiæ Ducis vxorem
 ſexu: Maximilianum autem Cæſarem, qui in eo-
 dem erat gradu, iure ſanguinis: quod hic per fœ-
 minam, Leonoram ſclicet Auguſtam Ioānis ami-
 tam cognatus erat, ille per Fernandum patrem,
 Ioannis patrum, agnatus. Quare otioſa erat, ma-
 gis quam officioſa illa Ioānis institutio, qua Em-
 manuelē Regni hæredem teſtamēto declarauit.
 Nihil enim accipiebat, qui iure ſanguinis necel-
 ſario ſuccedebat. Quid enim, ſecūdum Papiniani
 ſentētiā, de ſuo videtur reliquife, qui omnino
 reddere debuit? Facultas enim necessariæ electio-
 nis, propriè liberalitatis beneficium non eſt. In
 gratiam autem Georgij filij nothi, quo propitio-
 rem haberet Emmanuelē, eum in Regno inſti-
 tuit, cui maxime ademptū voluit. Notum enim
 eſt ijs, qui noſtrarum rerum peritiam aliquam
 habent, quantum dederit Ioannes operam viſque
 ad

CENSVRÆ

ad ultimum vitæ diem, ne ad Emmanuelem, sed
ad Georgium filiū Regnum perueniret, nisi Leo-
nora Regina eius vxor domi, & Fernandus & Isa-
bella Reges Catholici, qui Emmanueli propin-
quo fauebant, & Georgius Cardinalis Olisiponé-
sis apud Pontificem Alexandrū VI. restitissent, ne
Georgius legibus solueretur. Sed ut mēdaciū istud
magis splendescat, manus coininus conseramus.
Si ergo Emmanuel post Ioānnis mortem electus
est, necessum erat Comitia fierent & conuentus,
cleri scilicet, procérum, & populorum, & Interre-
ges interim crearentur, qui Comitijs præessent,
& Regni clavum tenerent. Mora etiam illius in-
terregni, & electionis futura erat aliqua. Scimus
tamen ex annalibus, & publicis monumentis, atq;
authoritate multorum, qui rei gestę interfuerunt, à
quibus audiuimus, Ioannem decessisse Aluotij
die Dominico sub Solis occasum, qui fuit XXV
Octobris, anni MCCCCXCV. Die vero lunæ
XXVI scilicet eiusdem mensis Salaciam, vbi Em-
manuel cum Regina Leonora sorore erat, nun-
tium allatum de morte Regis. Die Martis, qui
XXVII fuit, Emmanuel à Regina, & magnati-
bus, qui cum ijs erant, Regem salutatum more
pattro, & in Regni possessionem missum fuisse.

Is

Is enim nos est, ut sedens Rex futurus in Regio solio, aurea chlamide indutus, & sceptrum manu gestans, priuilegia subditorum iurēt se seruaturum, præsentes ad manus oscula admittat, in seruitij & obedientiæ significationem : à vexillifero & armorum magistris, postea à circunstantibus Rex acclamatur, & salutatur. Hac breui & simplici cæremonia Reges apud nos declarantur, & in Regni possessionem mittuntur. Primuni autem omnium ordinum conuentum, Rex Emmanuel Montemaiori ciuitate trans Tagum sita, egit, quō proceres, antistites, & populorum legatos euocauit, & eō, Salacia décedens, intra paucos dies accessit. Quo igitur ore impudentes isti, Emmanuelē populorum suffragijs electum asseverunt, cui intra triduum à morte Ioannis, ius Regni delatum, & possessio acquisita est?

CENSURA LXXXI.

I M pudetissimum profectò illud de Emmanuelē fuit, quod verò de Henrico hic tradit, longè impudentius nobis visum est, quod eius Regni auspicijs interfuiimus, quibusq; interfuit omnis Olisiponensis populus, & multitudo hominum
om-

CENSURA

omnium ferè nationum, qui in hoc totius orbis
emporio diuersantur. Funestissimæ enim illius
Africanæ cladis, qua Sebastianus Rex cum mul-
tis è Lusitanica nobilitate occubuit, vbi senatui
Olisiponensi nuntius allatus est, statim Henricum
ab Alcobacia accersitū, è Regia ad valetudinarij
templum per urbem ductū, inopinati casus acer-
bitate consternatum, & eo vultu, qui magis vide-
batur ad exequias filij cohonestandas, quàm ad
Regni solium & gratulationes duci, more & insti-
tuto maiorum, proceres & nobiles, qui aderāt Re-
gem salutarūt, sine vlla dilatione, aut popolorum
conuentu. Cum enim Henricus filius Emmanue-
lis Regis esset, ad cuius personam successio refe-
rēda erat, & cæteris gradu, sexu, & ætate preſtareret,
quæ mora futura erat, in Regni possessione acqui-
renda? Deniq; non ab Olisiponēsi Senatu electus
est, vt isti falso dicunt. Quando enī vna ciuitas
ad totum Regnum elegit? Ab ipso tamen Senatu,
& vniuerso populo, patro instituto, vt ceteris Re-
gni ciuitatisibus, Rex agnitus, & adoratus est.

CENSURA LXXXII.

HAS populi electiones falso asseruere, vt team
quam de Antonio cōminiscūtur, iustā suis
rei

rei ignariis persuaderent. Qualis autem ea fuerit ex gestorum narratione facile constabit. Mortuus igitur Henrico Rege, qui suum de Regis PHILIPPI iusta successione iudicium aperuerat, & (si diutius vixisset) ei Regnum adiudicare destinauerat, cuius iure esse sciebat, PHILIPPVS à Regni Gubernatoribus, qui omnium ordinū suffragijs, viuente adhuc Henrico, fuerunt electi, instanter obedientiam requisivit. Hi per Episcopum Coimbricensem, & Emmanuelem Melium Regiarum venationum Præfectum, ab eo petunt, quādo de successione Regni disceptatio in iudicium deducta erat, ab XI. viris, quos populi elegerant ad Regni causam decidendam, sententiā ferri sineret. Eos namq; esse iudices, qui suo iure illum non erāt fraudaturi. PHILIPPVS, qui defuncto Regi proximus erat cognatus, legitimus, natu maximus, & vir: & qui in terris nullum habebat iudicem, cui se in profanis subiiceret, iniquè eos agere respondit, qui suo Regi, & ab Henrico prædecessore iam declarato, debitum iure omnium gentium different obsequium. Nec se sententię statutū, quēm leges dare subditis, non ab ijs accipere aequum erat.

Dum hæc aguntur, Antonij asseclæ, qui nouan-

Q

dis

dis inhibant rebus, veteres casus inter Lusitanos
& Castellanos male præsenti rerum statui con-
ferentes, Scalabi, quæ nunc Sanctarena dicitur,
cum de euehendo Antonio agerent, & alij Regni
defensorem, alij Regem eum dici vellent, tandem
Regem salutare omnes decreuere. Antonius de
industria urbis muros egreditur, simulans pro-
pugnaculum in æditiōri suburbij loco velle ædi-
ficare ad urbis tutelam, & situm inspectum ire:
vt scilicet populus eo cōueniret, & propositi exe-
quendi occasionem haberet. Magna igitur turba
popularium coacta, cum vnus ē plebe, qui ad id
fortassè subornatus erat, Antonium Regem accla-
masset, & qui ex composito aderant, succinuissēt,
plebs, vt malarum semper rerum facilis imitatrix
est, & nouarum studiolā, Regem eum salutauit.
Antonius, & si à principio Regis nomen respuere,
& exhorrire videretur, & defensoris titulum velle
diceret, vinci tamen se passus est. Hi igitur omnes,
reclamantibus arcis Sanctarenensis Præfecto, &
Decurionibus, magna turba urbem ingressi & tu-
multu, ad curiam Antonium deferunt. Quæ cum
clausa esset, securibus fores effringunt, & ad obe-
dientiam minis & terrore ciues compellunt. Re-
ctâ inde Olisiponem venientes, eam facilè occu-
pant,

pant, quod nobilitas omnis, pestilentiae causa aberat, & vrbis Rectores ipsius Antonij metu au- fugerant. Gubernatores, qui Cetobricæ erant, & ob Antonij vicinitatem, & Regis nomen usurpa- tum in disciplina positi, quod multi Antonio affecti in eos plebem, & ipsos suorum corporum stipatores, & custodes concitauerant, de nocte se- quæribus nonnullis è prima nobilitate, nauicula inscesa, in proximum Castellæ oppidum, ad Anæ ostium sunt deuecti. Inde ad Castrum Marinum primum Portugaliæ municipium: eoq; in loco Regem PHILIPPVM verum & legitimum Regni successorem declararunt. Quorum iudicio omnes ciuitates & oppida stetere, quo Antonij metus non penetrauerat. Ea verò ut in obsequium suū traheret PHILIPPVS, Fernandum Toletanum Al- banum Ducem fortissimum Imperatorem, & te- rum gestarum gloria clarissimum, cum exercitu viginti millium electissimorum peditum, duorū millium equitum in Portugaliam misit. Is, ne- mine resistente, Cetobricam venit. Inde triremi- bus in Calcasium, oppidum nobile ad Tagi ostiū ab Olisipone XVI millibus passuum distans, exer- citum traiicit, & tam arce illa, quam alijs Olisi- ponem versus expugnatis, non longè ab Antonij

statius castrametatus quarto ab urbe lapide. Ante verò quām cum Antonio mapum conferret, cūm ei à PHILIPPO Rege iniunctum esset, quoad posset, Portugaliæ res illæsas cōseruaret, & omnia ante tentaret, quibus tam Antonius ipse; quām vniuersi eius Regni ciues incolumes essent, Toletanus Antonium ad fœdus icendum prouocat. Illum verò iam persuasum, & qui cum Toletano conuenerat, ut in cymba ad colloquium venirent, non defuit, qui dehortaretur, & ad resistendum incitaret: magis affectibus suis, quām Republicæ, aut Antonij commodis indulgens. Albus igitur XXV. die Augusti non magna difficultate Antonianos, quorum maxima pars coacta, & iuuta ad pugnam venerat, fudit fugauitq; & Antonius ipse, accepto in capite vulnera, fuga evasit. Quem si insecuri essent Albani milites, nec prædæ intenti essent, facile cepissent. Incolumis tamen Auerium peruenit, cui magna vis tumultuariorum militum, facinorosorumq;, spe prædæ sese aggregauit, inter quos egregius hic monaster historicus, frater Iosephus, multa per maximū scelus dicitur edidisse facinora. Oppido igitur expugnato, Antonius in Portuensem ciuitatem cōpendit, quam sine ylla cepit difficultate. Dux Al-


banus, Sanctum Aulam virum strenuum, & militaris disciplinæ scientissimum, cum tribus militum millibus mittit, qui eum consequatur. Antonij milites, cum nulla necessitate coacti, nec stipendijs conducti ad eum venissent, sed spe prædæ tatum illecti, & prouinciam Interamnem expilassent, non periclitari amplius pro Antonio decreuere. Languide igitur remisseq; pugnantes, primo ferè concursu fusi sunt, & in fugam versi. Antonius, rebus desperatis, nauem quam in Vienensi portu paratam habebat, cum ascenderet, nec ob aduersę tempestatis vim, soluere posset, in terram egredius, solito ornatu detracto, mutata veste, detonsaq; barba, ne agnosceretur, fugam occupat. Eo habitu aliquot delituit mensibus, amicorum hospitio varijs locis exceptus: & tandem in Galliam contendit.


Hæc Antonij fuit electio, ea Regni fuere auspicia, hic finis. Quæ cum gesta fuerint in media hominum luce, in foro, in exercitu, inter multos mortales, quid impudetiùs, quā in à populis fuisse electum, & per totum Regnum asserere fuisse receptum, qui nullibi potuerit consistere, & à nemine fuerit admissus, nisi ab ijs, quibus viis adhibita fuit? Notum enim est, nullum ex proceribus

An-

Antonio accessisse. Ioannes namq; Brachantiax
 Dux, non modo amplissimæ ditionis Dominus,
 sed vnus è Regni candidatis, Catharinæ vxoris
 ratione, vt quæ Emmanuelis Regis ex filio Edu-
 ardo neptis est, qua fidelitate & animi propen-
 sione, in Regis PHILIPPI obsequium & obedien-
 tiam venerit, qua Dux Aueriensis, qua Dux Vil-
 larealensis, Marchio Ferreirensis, Comites Porta-
 legrensis, Odemirenisis, Regiæ ipsius familiæ pro-
 pinqui, & cæteri Regni Dynastæ, qua Guberna-
 tores, & maxima nobilium pars, nemo ignorat.
 Quorum nōnulli non ferentes PHILIPPI moram,
 vltro se ad eum salutandum, in Castellam con-
 tulere. Primus autem omnium, summæ nobilita-
 tis vir Antonius à Castro Comes Monfanetensis,
 Cascasij Dominus. Archiepiscopi autem Bracha-
 rensis, Olisiponensis, Eborensis, & cæteri Episco-
 pi, & Regni antistites, quām in officio perstite-
 rint erga PHILIPPVM, & qua animi alacritate il-
 lius successione in fuerint amplexi, omnes sciunt.
 Quos igitur Antonius pro se habuit præter do-
 mesticos, qui eum deserere noluerunt, incondita
 fuit popularium turba, & populi colluicis, rapi-
 næ & libertatis auida, & pauci nobiles, ijq; fe-
 ré omnes adolescentes: quorum nonnullos Anto-
 nij

nij benevolentia, alios rei familiaris angustie,
 cupiditas, & ambitio eó adduxere, ut experiréatur,
 an periculo ipsius, possent Regem habere amicū:
 quippe quibus maior spes erat lucii, quām me-
 tus danni: quòd sublato de medio, aut victo An-
 tonio, nullius rei iacturam facere poterant, qui-
 bus nullæ facultates erant. Multi etiam Anto-
 nianorum metu perculsi, ei accessere: ne tāquam
 perduelles, ab ijs ad poenas & supplicia traheren-
 tur: quòd Antonio vel nomen non dedissent, vel
 neurii adhærentes parti, Antonij causam iustio-
 rem non censere viderentur: & inter eos
 nonnulli aulici magistratus, quos
 necessitas, & temporis conditio,
 parere cui minimè vellent,
 cogebat.





DVARDI NONII
LEONIS IVRISCONSULTI
LVSITANI, DE VERA REGVM
PORTUGALIE GENEALO-
GIA LIBER.

AD SERENISSIMVM.
PRINCIPEM ALBERTVM
ARCHIDVCEM AVSTRIÆ
S. R. E. CARDINALEM.



OLISIPONE,
ANNO
MDLXXXV.

ДИОНИСИАУМ

15/212227-15/212228

Библиотека Университета

Государственная Дума Российской Федерации

Санкт-Петербург

15/212229-15/212230

Библиотека Университета

Государственная Дума Российской Федерации

Санкт-Петербург

15/212231-15/212232

Библиотека Университета

Государственная Дума Российской Федерации

Санкт-Петербург

15/212233-15/212234

Библиотека Университета

Государственная Дума Российской Федерации

Санкт-Петербург

15/212235-15/212236

Библиотека Университета

Государственная Дума Российской Федерации

Санкт-Петербург

DVARDI NONII LEONIS
IVRISCONSULTI LVSITANI, DE
VERA REGVM PORTVGALIAE
GENEALOGIA LIBER.

AD ALBERTVM ARCHIDVCEM AVSTRIAE
CARDINALEM AC PRINCIPEM
SERENISSIMVM.

DE HENRICO PORTVGALIÆ
COMITE.



ENRICVS PORTVGALIÆ Comes natus est Vesontij: quæ ciuitas metropolitana est Burgundiæ Comitatus, vulgo hodie Besanzon. De eius origine variæ sunt opiniones. Alij Pannonicum, Hungariæ scilicet Regis filium: alij Græcum ex Imperatorum Constantinopolitanorum sanguine ortum: plures Lotharingum dicunt. Nos verò (ut latius in eius vita) Burgundum asserimus, certiori conjectura & authoritate. Patrem autem habuisse Guidonem Comitem Vernoliensem & Brionensem, Reginaldi & Alisæ Comitum Burgundiæ filium, Guillelmi Comitis Burgudiæ fra-

a z trem.

DE VERA REGVM PORTVG.

trem. Vnde patruelles habuit Henricus Stephanus Comitem Burgundiæ, Raymūdum Galliciæ Comitem socium itineris in Hispaniam, Calistum II. Pontificem Maximum, & Clemétiam Roberti Comitis Flandriæ vxorem, patrui Guillelmi filios. Vxorem autem fuisse Guidoni Ioannam Ducis Burgundiæ filiam, Northmanniæ traditur annalibus.

Is ad bellum sacrum tendens, in Hispaniam appulit, & Alfonsum VI. Castellæ Regem, qui Imperator etiam dicebatur, cum Raymūdo Burgundo, & Raymundo Tolosano Comite aduersus Sarracenos iuuit. Illi verò propter sanguinis claritatem, & res præclarè gestas, Alfonsus Tarasiam filiam nothā locauit, Portugaliamq; nominis. eam legi- ne dotis, & iure clietelæ dedit: hoc est illud, quod intra limites Interamnis prouinciæ, Lamecæ, Co- nimbricæ, & Visei continebatur: & tractum etiā illum Galliciæ, qui Ultra montanus dicitur, cum iure recuperandi eam Lusitaniae partem, quæ à Sarracenis occupabatur, usque ad Bæticæ cōfinia; qua scilicet Anas prouincias diuidit.

Sustulit Henricus ex Tarasia Alfonsum Henricum, qui primus Portugaliæ fuit Rex.

Duas

Duas etiam suscepit filias, Vrracam, quæ Veremundo Comiti Trastamaræ: & Tarasia m, quæ Fernando Menendo in Gallegia nupsere.

Ex concubina Petrum habuit virum bello strenuum, quem in expugnatione urbis Sanctarenensis, Alfonsum fratrem iuuuisse legimus.

Ecclesiæ Cathedrales Bracharensem, Portuensem, Lamcensem, & Viseensem à Sarracenis dirutas Henricus suis sumptibus erexit, erectas Pontificibus restituit: & eas amplissimis censibus daturauit.

Moritur Asturicæ anno à Christo nato MCXII. Sepelitur Bracharæ cum vxore Tarasia in summo templo, iuxta maximam aram, quo illos Iacobus Sousa Archiepiscopus, vir pietate iuxta ac nobilitate conspicuus, ex humili sacello eiusdem templi transtulit, anno MDXIII.

DE ALFONSO I. REGE PRIMO.

ALFO NSVS I. Henrici Burgundi & Reginæ Tarasie filius, nascitur anno MXCIII. Hic quādiu fuit in patris potestate, & sub administratio-

DE VERA REGVM PORTVG.

stratione matris, Infans Portugaliæ more filiotū Regum vocabatur. A morte verò matris ad prælium Orichienſe, Princeps Portugaliæ dictus est. A prælij autem tempore, Rex. Tarasia verò mater Regina dicebatur, more illius temporis, quo Regum filiæ omnes Reginæ vocabantur: etiam si Regnum non haberent. Quem morem ad Alfonsum II. durasse comperimus. Deinceps Infantes dici cœptæ sunt, vt etiam mares.

Vxorem duxit Mahaldam filiam Amedei II. Comitis Maurianæ, & Guigonis Comitis Albonensis filiæ. Ille autem est Amedeus, qui rediens è Syria, quó bis belli sacri causa iuerat, moritur in Cypro, & sepultus est in cœnobio Sanctæ Crucis, iuxta vrbe[m] Nicosiam. De quo multa præclarè gesta memorantur: & inter alia, magna illa victoria, quam de Turcis adeptus est, pro Rhodiensium equitum defensione. Is ab Imperatore Henrico V. priimus Sabaudiæ Comes, & sacri Imperij per Italiam Vicarius creatur. Ex hac Mahalda suscepit Sanctum Regni successorem.

Vrracam, quæ Regi Fernando II Legionis, & Galliciæ nupsit, à quo postea Summi Pontificis
filiæ

sententia, quod sanguinis ratione essent coniuncti, separatur: nato tamen iam Alfonso, qui patri successit in Regno, & pater fuit Fernandi III. qui Sanctus habitus est: cuius opera, Hispalis & Corduba à Sarracenorū tyrannide, Christianis sunt restituta.

Tarasiam, quæ Philippo Comiti Flandriæ locata est. Hæc nomen Tarasiam in Mathildem vertit apud Flandros: à quibus Regina Mathildis appellatur, & in magno pretio habita est, tam propter Regium stemma, quam propter magnam prudenteriam, & fortitudinem animi, qua Flandros gubernauit, dum maritus Philippus abesset, belli Syriaci causa: ut à magno patre Alfonso non videatur degenerasse. Obiit quippe Philippus in Ptolemaidis obsidione, pestilentiae contagio. Mathildis verò infelici exitu mortua est propè Furinas, anno M CCXVIII. quo tempore Fernandus eius nepos ex fratre Sanctio, Comes erat Flandriæ. Dum enim per viam palustrem iret, lapsa quo vehebatur effedo, suffocatur. Illumq; locum hodie foramen Reginæ vocari, aiunt. Sepelitur primùm in monasterio Dunési: inde ad Claram Vallę Burgundię nobiliissimū coenobiū trāsfertur.

Ha.

DE VERA REGVM PORTVG.

Habuit Alfonsus illegitimos Petrum Alfonsum, cuius successio & dignitas ignoratur: & Vrracam Alfonsam, quam nonnulli nuptam fuisse dicunt Sanctio Nonio, ex quibus ortam dicunt Vrracam Sanctiam, quæ Gundissaluo Sousæ locata est. Horum dicunt fuisse filium, celebrem per ea tempora Comitem Mendum Sousanum. Petrus autem Comes Barcellensis in commentarijs de nobilium Portugaliæ genealogia, eam Vrracam Regis Alfonsi filiâ locatam tradit fuisse Petro Valladaro: eosq; parétes fuisse Sanctiæ Pelagiæ vxoris Petri Ruizij Gironis, qui pugnæ illi decantatissimæ ad Nauas Tolosæ interfuisse dicitur. Vtrumq; fortassè verum, si illa bis nupsit.

ANNO M C XXXIX. cum Ismario, seu Ismaële, & quatuor alijs Regibus Sarracenorum collatis signis conflixit in Orichiësi agro, magna eorum facta strage. Qua victoria parta, in memoria quinque Regum, quos vicit, crucem cœlestis coloris, quæ Portugaliæ insigne erat, in quinq; diuisit scutula: eaq; argenteis respersit denarijs, pro recordatione etiam eorum, quibus assertor noster venditus fuit.

Olis.

Olisiponem, Leitiam, Sanctarenam, Turres Novas, Sintram, Maforam, Cczimbram, Eboram, Pa-
cem Iuliam, & totam ferè Portugaliam, quanta
nunc est, è Sarracenorum liberatam tyrannide,
Christianis restituit.

Animi eius fortitudinem comitabantur tantæ
corporis vires, ut in pugna, qua semper primus
erat, ad eum tanquam ad furibundum leonem
hostes non auderent accedere. Tantoque dexteræ
robore fuit, ut nullum leue vulnus inflixisse di-
catur. Strenuus tamen hic bellator, cum domi
erat (domicilium enim Conimbricæ ferè habe-
bat) inter Sanctæ Crucis monachos, superpelliceo
indutus (ita suprema eorum vestis linea vocatur)
in choro simul sacra carmina canebat.

Fuit in Deum piétissimus. Magnam enim pa-
tem eorum, quæ bello acquirebat, monasterijs
& religiosis viris donabat: tāquam Deo non sibi
militaret. Et ita hostes debellauit, ut Deus pro
ipso pugnare videretur.

Tanta præterea sui fiducia præstítit, ut quod in
Scipione maximè laudatur, ei fuerit peculiare.
Sæpe enim nondum inchoata, pro perfectis præ-
b dice.

DE VERA REGVM PORTVG.

dicebat, quasi in se situm esset. Cum Scalabim,
quæ nunc Sanctarena, furto capere vellet, è Co-
nimbrica egressus paucis comitatus, pridie quām
ciuitati appropinquaret, suis prædictis, sequenti
die se intra mœnia futurum. Et ita nulla Sarrace-
norum proditione, ciuitatem cepit ex improviso
populosissimam, munitissimam, & naturali situ
ferè inexpugnabilem. Nihil hac fiducia genero-
sius, nec prædictione certius fuit, nec celeritate
admirabilius, si ciuitatis situs, & ciuium armato-
rum frequentia considerentur.

Plurimas ecclesiæ erexit & reparauit, & duo illa
celeberrima monasteria Alcobaciense, & Sanctæ
Crucis Conimbricæ extruxit, atque amplissimis
reditibus locuplerauit. In quorū censu sunt mul-
ta oppida, & possessiones magni valoris. Funda-
uit etiam nobile Sancti Vincentij cœnobium or-
dinis Sancti Augustini, in obsidione Olisiponēsi,
eo ipso, quo castra posuit, loco.

Rebus tandem tam bello strenuè, quām pace
piè gestis, obiit Conimbricæ, anno salutis huma-
næ MC LXXXV. Vixit annos XC I. Sepeli-
tur in cœnobio Sanctæ Crucis, quod ipse funda-
uit.

DE

DE SANCTIO. I. REGE II.



ANTIVS. I. fortissimum parentem in omnibus fecutus est. Quo superstite, multa fortiter gesta eius tradita sunt. Inter ea verò cèlebris illa pugna, quam cū Hispalensi Rege commisit, prope Hispalis muros, tanta Sarracenorum clade, ut memorię proditum sit, Bætis fluminis vndas fluxisse sanguinolentas. Multa etiam Bæticæ oppida deprædati, cum opimis spolijs in Lusitaniam reuersus est.

Quadriennio ante patris obitum vxorem duxit Dulciam, seu Aldonzam, Raymundi Berengarij & Petronillæ Reginæ Aragoniæ filiam, Ranimiri autem monachi neptem: ex qua suscepit Alfonsum Regni hæredem.

Fernandum, qui intuitu amitæ Reginæ Tarasie, seu Mathildis, Flandriæ Comitissæ, duxit vxorem Ioannam Flandriæ Comitissam, filiam Balduini Imperatoris Constantinopolitani. Hic in pugna illa memorabili apud Bouin is, quam signis collatis, cum Imperatore Othono IIII. Ioanne Rege Angliæ, Regnaldo Comite Dampmartini,

DE VERA REGVM PORTVG.

tini, & alijs, aduersus Philippum Augustum Gal-
liarum Regem commisit, captus est, & multos an-
nos afferuatus in arce Lupara Lutetiæ Parisiorū.
Inde verò tandem liberatus à Ludouico IX. No-
uiomi moritur, anno M CC XXXIII.

Petrum, qui seu dissidio cum Rege Alfonso fra-
tre, qui in fratres & sorores non fuit benignus,
seu peregrinandi studio, in aula Marrochiorum
Regis aliquādiu egit. Postea in Aragoniam pro-
fectus, Comes fuit Vrgellensis, ratione vxoris Au-
rembiagis. Hic in compensationem hæreditatis,
qua ad matrem Dulciam pertinebat in Aragonię
Regno, à Iacobo Rege Rcgnum Maioricæ acce-
pit in vitam. Sed quod ad illud tuendum à Sar-
racenorum iniurijs, vires ei non sufficerat, Re-
gnum Iacobo restituit, & ab eo urbem Segorbiā,
& Morellam obtinuit. Huius Petri auxilio, Gui-
lelmus Mongrius electus Archiepiscopus Tarra-
conensis, insulā Ebusum debellauit, anno MCC
XXXV. Sine liberis autem decessit.

Henticum, qui adolescens obiit.

Tarasiam, quæ cùm Alfonso Legionis & Galle-
ciæ Regi nupsisset, & filios procreasset, ob magnā
tē.

tépestatū vim, terremotus, & pesté vndiq; grassātem, atq; alias calamitates, quas incestuosο Tarasie & Alfonsi coniugio Portugalenses imputabant, quòd fratrum essent filij, à Celestino III. separationem obnixè contendebant. Pontificis autem iussu, Episcoporum Portugaliæ, & Legionis Concilium Salmanticæ est indictum, sub præsidio Guillēlini Cardinalis Sancti Angeli: in quo diuortium eorum Principum decretum est. Tarasia autem rediens ad patrios lares, monasterium Loruaniense ordinis Diui Benedicti, quod ante monachorum erat, instaurauit, & virginibus dedicatum, magnis donarijs, & Esgueræ oppidi ditione auxit, in eoq; sepulta est.

Mahaldam, quæ cum formosissima esset, & multis animi dotibus ornata, Hērico I. Castellę Regi nuplit, à quo etiam propter sanguinis necisitudinem, separatur sententia Munonis Episcopi Burgensis, & Telli Palentini, quibus Innocentius III. causam commiserat. Illa autem ad suos reuersa, monasterium Aroucense condidit, quo se abdidit, & in eo sepulta est.

Sanctiam, quæ cœlebs vixit, & monasteriū Loruaniense moderata est. Hæc in proprijs xedibus Ge-

DE VERA REGVM PORTVG.

Gerabricæ, quæ nunc Alanquera vocatur, viuente adhuc Diuo Francisco, eius ordinis recenter instituti primum cœnobium fundauit. Cuius aulæ vestigia adhuc apparent, & integra cubicula. Sepelitur Conimbricæ in cœnobia Sanctæ Crucis cū patre Sanctio.

Blancam Guadalajaræ dominam. Hæc cælibem vitam egit, & in Castella mortem obijt. Ossa autem eius in cœnobium Sanctæ Crucis delata sunt.

Berengariam, quam à pueritia Regina Tarasia soror in monasterio Loruanensi educauit. Cælebs hæc vixit, & in cœnobio Sanctæ Crucis sepulta iacet.

Mortua Dulcia Regina, sustulit Sanctius ex Maria Ioannide à Fornellis concubina, Vrracam Sanctiam, & Martinum Sanctium, qui Trastamaræ fuit Comes, & vxorem duxit Ello filiam Petri Fernandi à Castro cognomento Castellani. Decessit autem sine liberis.

Ex Maria Pelagia Riparia alia concubina habuit Tarasiā Sanctiam, quę nupsit Alfonso Tello Seniori, qui Albuquerquium oppidum condidit, ex quo natus est Alfonsus Tellus.

Ægi-

Ægidium Sanctum, qui cælebs moritur.

Constantiam Sanctam, quam cœnobio Sancti Frâcisci apud Conimbricenses, quod in vita ipsius Patriarchæ cœptum fuerat, ultimam manum imposuisse dicunt. Sepelitur in cœnobio Sanctæ Crucis cum patre Sanctio.

Rodericum Sanctum, qui in pugna ad Portuensem ciuitatem occubuit. Sepelitur in monasterio Ecclesiensi.

Huius Sanctij tempore, appulit vi tempestatis in Olisiponensem portum LIII nauium classis Danorum, Phrisiorum, & Hollandorum, qui sacri belli causa in Syriam nauigabant. Quorum auxilio Sanctius Syluensem ciuitatem à Saracenorū iugo liberauit, & Regno suo adiecit. Ita enim cū classis Prefectis conuenit, ut ipsis præda, sibi autem cederet vrbs. Ibi ecclesiam cathedralem innovavit, quæ olim Ossonobensis erat: cuius in antiquis Concilijs mentio habetur. Erat autem Ossonoba ciuitas magna Episcopalis, vbi nunc oppidulum Stombar.

Huius etiam tempore, morbi nunquam antea visi ingruebant, feruentissimis intra viscera ardoribus, quibus homines quasi quadam rabie exagi-

DE VERA REGVM PORTVG.

gitabantur. Exorta etiam fames, frugibus tam vi
tempestatis, quam vermibus corruptis, & lues
non minus nocēs pecori, quam hominibus. Agri
vastati sunt: & multorum reliquę vacue possēsiō-
nes. Nulla denique domus non lugubris fuit. A
bellis autem pauca, aut nulla quies. Nullo enim
tempore, Sarraceni Principes cum maioribus co-
pijs Portugaliam inuasere. Initis autem cum Sar-
racenis inducijs in quinquennium, non defuit
Sanctio bellum quasi domesticum cum Alfonso
Legionis Rege, nepote ex sorore, & genero. Vn-
de ad Sanctum cūitas Tudensis, Pons Vetus, &
Sanctus Pelagius peruenere oppida. Quæ po-
stea, pacis vltro citroq; conuentis, Reges Portu-
galiæ Legionensibus restituerunt.

Obijt anno M CC XII. Regnauit annos XXVI.
Vixit LVIII. Sepelitur Conimbricæ in cœnobio
Sanctæ Crucis, iuxta aram maximam, è regione
tumuli Alfonsi patris.

DE ALFONSO. II. REGE III.

AL F O N S V S II. cognomine Crassus,
Sanctij. I. filius, vxorem duxit Vtracam fi-
liam Alfonsi IX. Castellæ Regis, & Leo-
noræ

nōrē Henrici II. Reginis Angliae filiae, ex qua suscep-
lit Sanctum Regni hæredem.

Alfonsum Comitem Bononiæ, postea Regem.

Fernadum Infantem Serpæ dictum, qui habuit
uxorem Sanctam Fernandidem Fernandi Comi-
cis Laræ filiam, ex quibus nata est filia quædam,
quam primogenito Reginis Daciæ nupsisse dicunt.

Leondram, quæ Daciæ Regi nupsit.

Fuit Alfonsus in fratres animo non satis frater-
no, aut liberali. Sororibus autem oppida testame-
to pannis legata, sine causa voluit adimere. Sed
nihil profecit, tam armis Reginis Legionensis; qui
Taraſiæ fuerat maritus, quam Summi Pontificis
interminationibus, & interdictione sacrorum coa-
ctus.

Tempore huius Alfonsi, anno M C C X V I I .
cum ciuitati Olisiponensi multarum nauium classis
applicuisset, pelagi tempestatibus acta, quæ ex
Hollandia, Phrisia, & Gallia Belgica soluerat in
Syriam ad sacrum bellum, Matthæus Episcopus
Olisiponensis, vir pius & impiger, classis Prae-
fectos, quos benignè exceptit, horribilis est, dum

DE VERA REGVM PORTVG.

morari in reparanda classe faciebant, Salaciam populi Romani olim Coloniam, nunc vulgo Alcassere salis dictæ, ad quam estuario duci poterat, & Sarracenorum potestate liberarent. Se cum Lusitanis militibus, & commeatu affuturum. Assentetur illi: & cum viginti militum millibus, quos ex Olisipone & Ebora collegit, Gallis iuuantibus, oppidum obsider, & expugnat.

obijt anno Dni 1223. 25 Martij ut patet liber. obijt. Sancta
Crucis Conimbr. Obijt Conimbricæ anno M CCXXIII. Vixit
6 Octauo kalendas annos XXXVIII. Regnauit XII. Sepelitur in cœs.
Agri obijt nobio Alcabaciensi cum vxore Vrraca.
bonus obit fons
Tertius Rea Portugal seu MCC LXI. V. filius Ludov. de Sousa in Chrys.
Dominicana p. 16. l. C. 22. ut causa mortis in verius 2 tunc
Itonis in vita huius DE SANCTIO II. REGE IIII.
Regis reg. mili. 70 verso.



A N C T I V S II. Alfonsi II. filius nimis remissi, & negligentis fuit animi. Et quod magis ad monasticam vitam, & quietem aptus erat, quam ad Regnum, siue (ut alij volunt) quodd caputij aliquo genere, ad instar monachorum vtebatur, Capellum eum appellabant. Ita enim nostrates cucullum vocant.

Duxit hic Mitiam Lopidem ab Haro, filiam

Dioe-

Diodoci Lupi Cantabriæ Dynastæ: quæ ante nups erat Aluaro Peresio à Castro, filio Petri Fernandi à Castro, quem Castellanum vocabant. Hanc verò tum quod Sanctio propinqua esset, & cunæ coniugi non poterat, nisi Summus Pontifex eos legibus soluisset, tum etiam quia sceleratis quibusdam Regis consultoribus fauebat, qui Regnum deprædabantur, Lusitani quidam nobiles è Conimbrica raptam, in Galliciam traxerunt. Inde in Castellam migravit, unde amplius in Portugaliam reuersa non est.

Huic Sanctio propter socordiam & mores Regi non aptos, Innocentius III. in Concilio Lugdunensi, vicarium dedit Alfonsum Comitem Bononiæ, fratrem & legitimum successorem, qui pro eo Regnum gubernaret: illæsa tamen manente Sanctij dignitate, cum Regio cultu, & Regni successione, si liberos procreasset.

Obiit Toleti, & sepultus est in summo templo in Regum conditorio. Anno M CC XLVI. Regnauit annos XXII. Postremis autem duobus, rexxit pro illo Portugaliam Alfonsus Comes Bononiensis frater.

DE ALFONSO III. REGE V.



L FONSVS III. Alfonsi II filius & Sanctij II frater, vxorem duxit Mathildem Bononiæ Comitissam, filiā Regnaldi Comitis Dampieratini, & Ide Comitissę Bononiæ, videlicet Philippi Crispi filij Philippi Augusti Regis Gallorum, & Mariæ filiæ Ducis Merauiae: ex qua nullos liberos huc cœpit.

Huic Innocentij IIII Pontificis Max. decreto in Concilio Luggdunensi, interdicta Sanctio ad ministeria, quoddemissio animo esset, & ad habendum munus idoneus, commissa est. Mortuo vero Sanctio, in Regno successit, ut qui proximus p̄ei erat agnatus. Cum vero Mathildis, etatis eiuscāsa, quod iam! anaosa esset, liberos ei non peperisset de prole & Regni successore cœpit cogitare, & Beatricem puellam non dum nubilem, filiam notham Alfonsi X. Castellæ Regis, & Matonis Guillelmijæ, duxit uxorem, retineta in Gallia Mathilde. Ex Beatrice autem hos habuit liberos,

Dionysium, Regni successorem.

Alfonsum Dominum Portalegrij, Castelli Vitæi,

Mar-

Maruani, Arrontij, & multorum oppidorum.
 Duxit hic Violantem filiam Infantis Emmanuelis filij Fernandi III. Castellæ Regis, & Constantiæ filiæ Iacobi. I. Aragoniæ Regis: ex qua suscepit Alfonsum Dominum Leiriæ: qui sine liberis decessit. Isabellam, quæ Ioanni Lusco Domino Cantabriæ nupsit. Constantiam, quæ Nonio Godissaluo à Lara filio Ioannis Nonij à Lara cognomento Boni. Mariam, quæ Tello filio Alfonsi Molinæ Infantis. Isabellam alteram, quæ Ioanni Alfonso Domino Albuquerquij filio Alfonsi Sanctij, nepoti autem Regis Dionysij. Sepelitur is Alfonsus Olisipone in cœnobio Sancti Domini ci, quod Alfonsus pater eius fundauit. Hic vero est, quem falso asserebant, esse Mathildis filium puerum, & Petrum, aut Fernandum vocari.

*Mos. C. ad
de S. D. 27*

Blancam, quæ monasticam vitam professa, Loruanensi monasterio præfuit: ex quo in Burvensium magnum illud monasterium Holgarum immigravit. Hæc ditissima fuit. Patris enim, & aui Alfonsi Castellani Regis testamentis, ampli ei legata relinquuntur: & multorum oppidorum ditione aucta est, tam in Castella ab anno, quam in Portugalia à fratre Dionylio, qui Montem

maios

DE VERA REGVM PORTVG.

maiorem Veterem, & Campum maiorem oppida ei concessit.

Constantiam, quæ Hispalim cum matre profecta, auum Alfonsum visendi gratia, ibi puella adhuc moritur: & in monasterium Alcobaciense delata est.

Illegitimos habuit Ægidium Alfonsum, qui pater fuit Laurentij Ægidij Bailiuij ecclesiæ Sancti Blasij Olisiponensis ciuitatis, ordinis Hospitalensium: ut ex sepulturæ ipsius epitaphio, in eadem ecclesia constat.

Fernandum Alfonsum equitem Templarium, qui Olisipone, in eadem ecclesia Sancti Blasij sepe litur.

V. D. Rodin. Leonoram à Portugalia, quæ nupsit Comiti Episc. Olissip. Gondissaluo Garsiax Sousæ, amplæ ditionis Dy. p. 2. c. 4. 8. naſtae.

n. 6. 7. *Chichoros* Ex Sarracenici generis muliere Martinum habuit Alfonsum: ad quem Chichororum familia genus suum refert. Hunc nonnulli per errorem, Alfonsi II. filium fuisse, dicebant.

Hic Algarbij Regnum à socero Alfonso concessum iure clientelæ, cuius pars à Sarracenis ad id temp.

tempus occupabatur, liberū ab eorum iugo redidit, expugnatis Loulea, Pharo, Aljezurio, & Albofeira. Postea cum clientelam in gratiam nepotis Dionysij, sacer remisisset, pro Algarbij symbolo, Portugaliae Regni insignibus clypeum purpureum addidit, aureis castellis resperum.

Fuit Alfonsus Princeps Reipub. suæ vtilis, fortis & liberalis. Multis etiam nominibus laudandus, si in Mathildem vxorem, & benemeritam, iniuriam excipias: cum qua visus est, humilioris, non maioris fortunæ inijisse societatem.

Obiit Olisipone, anno M C C LXXIX. & ibi in monasterio Diui Dominici, quod ipse extruxit, sepultus, ad annum M C CLXXXIX, quo in Alcobaciense monasterium delatus est. Vixit annos LXX. regnauit XXXII.

DE DIONYSIO REGE VI.



DIONYSIUS Alfonsi III. & Beatricis filius, Princeps multis dotibus insignis, tres habuit virtutes, quibus inter omnes sui temporis Principes excelluit, iustitia,

li.

DE VERA REGVM TORTVG.

liberalitatem, & veritatis studium. Ante illum cum multa itinera essent latronibus infesta, vt sine magno periculo, homines peregrinari non possent, ita eos conquisit, & severa punitione coercuit, vt non minus de nocte, quam de die, esset tutus incessus. Potentiorum in plebem violentiam repressit: & omnes facinorosos homines, aut vita priuandos, aut deportandos curauit. Ita autem rigorem clementia temperabat, quando opus erat, nec offendio Reipub. sequeretur, vt maiore voluptate in parcendo, quam in vindicando, affici videretur.

Ob hanc iustitiae opinionem, quam omnes de eo conceperant, & summam prudentiam, arbitri electus est, qui de Regni Castellae summa, inter Fernandum, & Alfonsum à Lacerda sententiam ferret. De qua re sine partium querela ius dixit.

Tanta liberalitate excelluit, vt quemadmodum hodie, pro liberali homine dicunt Alexandrum, ita suo tempore proverbio diceretur. Liberalis tamquam Dionysius. Cuius rei fama amabilem eum apud omnes nationes reddidit. Cum in Castellam & Aragoniam arbitrij causa iuisset, nullus ferè ex nobilibus utriusque aulae, indonatus ab eo discessit.

cēssit. Et Iacobo Rēgi Atagōnīæ uxoris fratri, magnam auri summam mutuo petenti, mutuum negauit: duplum autem dōpo dedit. Ab eo autē eum hospes esset; nec xenium quidēm vobis accipere. Castellæ Regi Fernando genēro suo, p̄fidiū ab eo ad belli sumptus poscenti, ultra magnam pecunię summam, fmaragdinūm poculam pretij inestimabilis dedit. Cum autem non tantū pr̄sentibus nobilibus donasset, sed & absentibus munera misisset, & in Portugaliam redditum pararet, nobilis quidam Castellanus questus est, quod se solū indonatum omitt̄eret: cumq; Rex se excusaret, quod illius notitiam non habuisset, argenteam mensām magni ponderis, in qua cœnabat, & quæ solum ex Regio instrumento superrerat, ei obtulit, addens, ut boni consuleret: nihil iam sibi esse reliquum, quo eum honoraret.

Veritatis tam rigidus obseruator fuit, ut promissis facta semper exequauerit. Nec re aliqua, se tam offendī dicebat, quam mendacio.

Quanta fuerit prudētia, vel inde colligi potest, quod in tanta liberalitate, maximas reliquerit diuitias, sine suorum offensione.

d. Vxo-

DE VERA REGVM PORTVG.

Vxorem duxit Isabellam filiam Petri III. Regis Aragonie, & Constantiae filie Manfredi Neapolitani, & Siculi Regis, Imperatoris Federici II. filij. Quae corporis forma cum pulcherrima esset, animi dotibus longe pulchrior fuit: ut quae inter duas relata est. De cuius vita & miraculis, multa in chronicis Diui Francisci, quae non minori dilectionia, quam pietate, Reuerendissimus D. Marcus ab Olisipone Episcopus Portuensis in minoribus agens edidit. Ex ea autem sustulit hos liberos,

Alfonsum Regni successorem.

Constantiam Fernandi IIII. Castelle Regis uxorem.

Ex diuersis concubinis in iuuentute illegitimos habuit Alfonsum Sanctum Albuquerquij Dominum, quem ex Aldonza Rodericia sustulit. Hunc valde dilexit: cuius causa, natæ sunt similitates inter Alfonsum primogenitum & patrem.

(Onde de Baso — celo) Petrum Comitem Barcellensem, quem ex Domina Gratia habuit. Hic de nobilium Portugaliæ stemmatibus libros scripsit, qui in pretio habentur. *Script. et. Bibliar. vulgo volumen de cantigas de guardas no. 22. v. 11. de castella* Pe

Petrum alium, qui Blancam filiam Petri Ioannis Portelli Domini duxit vxorem. Erat hic Petrus nobilissimo genere, Ioannis Auoini filius, & Constantiæ Menendæ filia Menendi Garlie Souſæ.

Ioannem Alfonsum.

Fernandum Sanctum, qui Sanctarenæ sepelitur in Dominicanorum cœnobio.

Mariam Ioanni Lacerdæ nuptam.

Mariam alteram, quæ parthenonis Odiuellensis monacha fuit.

Fuit Dionysius Rex humanissimus, amoenissimi ingenij, & à literarum studijs non abhorrens, eo rudi seculo. Poëtices autem studium maximè dilexit: & ferè primus in Portugalia carmina lingua vulgari scripsit, nata non ita pridem huiusmodi poësi versuum similiter cadétium apud Sículos: è quibus ad Lemouices, Aruernos, & Provinciales, & inde ad Italos, & Hispanos emanauit. Extant hodie multa eius carmina varia mensura, tam de profanis amoribus, quam de laudibus beatissimæ Virginis Deiparæ: ex quibus appetet, imitatum fuisse Lemouices & Aruernos poëtas.

DE VERA REGVM PORTVG.

Academiam omnium scientiarum Conimbricæ instituit primus: & honestissimis stipendijs eruditos homines vnde cunq; acciuit, qui docerent. Oppida multa ædificauit, alia diruta reparauit. Leges iustissimè sanciuit, quas omnium primus obseruabat: alias emendauit, & dispesas in libtos & methodū coëgit. Iudiciorum ordinem in melius reformatum. Militiam Iesu Christi ex bonis Templariorum instituit. Ordinem Sancti Iacobii ab Uclensis Magistro exemit, & à Magistro Portugalæ proprijs statutis gubernari fecit. Agriculturam maximè curauit: & agricultoras vocabat neruos Reipub. Vnde eo tempore, nulli homines otiosi, nullus ager vacuus, & annona semper vilior: & ob id Agricola dictus est. Multa denique milia egit, pro quibus nomen patris parvus ei merito conueniret.

Obiit Sanctarenæ magno suorum desiderio, anno M C C C X X V . Ianuarij die VII. Vixit annos LXIII. Regnauit XLVI. Sepultus est in monasterio Odineellarum ordinis D^r. Benedicti, ^{Benedicti} quod ipse fundauit in agro Olisiponensi. VI. ab urbe lapide.

DE

DE ALFONSO IIII. REGE VII.

ALFONSUS IIII. Dionysij filius à morum austerritate, & animi robore dictus est Ferox. Vxorem habuit Beatricem filiam Sanctij Fericis Castellæ Regis, & Mariæ filiæ Alfonsi Infatis dicti à Molina: ex qua liberos habuit,

Alfonsum, qui puer obiit Penellæ, & Sanctare næ dicunt sepeliri in cœnobio Diui Dominici. Ita fuit *Hudorius de Costa in Chron. Domin. s. p. 16. a. cap. 40.*

Dionysium, qui anniculus decessit, & in Alcocabaciensi fano sepelitur, ad pedes Regis Alfonsi proauri.

Ioanné, qui puer obiit, ut ex eius effigie & monumento apparet in cœnobio Odiuellensi, iuxta tumulum cui Dionysij Regis.

Mariam, quæ Alfonso XI. Castellæ Regi nupsit, & Petrum Crudelem peperit.

Petrum, qui patri in Regno succedit.

Leonoram Petri IIII. Aragoniæ Regis vxorem secundam. Hæc puella admodum morpha est, r. *vulgo 14 cat. 110 cl. 200 mar. 200.*

DE VERA REGVM PORTVG.

Iusta infantula Beatrice: quæ allata in Portugaliā post mortem Alfonsi, intra pupillarē adhuc attātem, obiit. Cuius ossa Regina Beatrix auia, cum suis in eodem loculo condi iussit, Olisipone in summo templo.

Fuit Alfōsus animi fortissimi, vnde illi nomen. Cum Castellæ Rege Alfonso XI. nepote ex sorore & genero, magnas gessit simultates, tum quod ille spreta Maria vxore, ipsius Alfonsi filia, quam pessimè tractabat, Leonoram Noniam concubinam Reginæ honore haberet, tum quod Constantiam nurum, filiam Ioannis Emmanuelis, in Portugaliam venire non sineret ad Petrum Regni heredē, cui pacta erat. Inuidebat enim Petro, quod Constantia esset potitus, quam ipse olim amauerat, & cum qua sponsalia contraxerat, quibus inuitus ferè & à suis persuasus renuntiauerat. Hæ tamen causæ non obstitero, quo minus generum iunaret in prælio illo ad Salatum flumen, in quo Regem Granatæ fudit, & in fugam vertit, magna Sarracenorum facta clade.

Multa præterea domi forisq; fortiter gessit, rebus omnibus laudandus, si iuuentutis tēpus impietate in patrem & in fratrem, & senectutis sauitia

uitia in nurum non maculasset. Nam aduersus patrem, quod Alfonsum Sanctum filium nothū, virum optimum, & sibi obsequentissimum diligenteret, inuidia motus arma s̄epe sumpsit, multaq; machinatus est, magna eius offensione, quò Alfonsum aut odiasset, aut è Regno exterminaret. Quæ res Dionysium inter felices Principes aliqui numerandum, in senectute mire afflixit, Agneti etiā à Castro, quam filius Petrus ardenter amabat, & vxorē duxisse ferebatur, & è qua pulcherrimam sobolem sustulerat, crudeliter vitam ademit. Leges multas Reipub. utiles tulit, & iustissimè populos gubernauit. Attentiorum tamen ad rem illum fuisse aiunt.

Obiit Olyslone anno MCCCLVII. ætatis suæ anno LXVII. Regnauit annos XXXI. mensis V. dies XX. Sepultus est in urbis summo templo, iuxta aram maximam, cum Beatrice uxore.

DE PETRO REGE VIII.



ETRVS Alfonsi IIII filius, qui dictus est Crudelis, uxorem duxit Constantiam filiam Ioannis Emmanuelis Infantis, Emmanuelis filij,

DE VERA REGVM PORTVG.

Iij, Fernandi verò III. Castellæ Regis nepotis, ex
qua liberos suscepit,

Ludouicum, qui in cunis fato concessit.

Fernandum, qui Regni fuit successor.

Mariam vxorem Fernandi Aragoniæ Infantis,
Marchionis Tortosæ, Regis Alfonsi III. & Regi-
næ Leonoræ filij.

Ex Agneta verò à Castro filia Petri Fernandi à
Castro, sanguine sibi propinqua, quam post illius
mortem vxorem professus est, filios sustulit,

Alfonsum, qui in cunis obiit.

Ioannem, & Dionysium, qui in Castellam im-
migrarunt, & ibi mortui sunt.

Beaticem, quæ nupsit Sanctio Comiti Albu-
querquij, notho Alfonsi XI. Castellæ Regis: ex
qua nata est Leonora, quæ Fernando Castellæ In-
fanti, Duci Penafielensi, postea Aragoniæ Regi,
locata est.

Propter ingenitum naturæ rigorem, & quòd in
puniendo crudelitatem magis, quàm iustitiam
exercebat, Crudelis nomen adeptus est. Pœnas
enim maiores irrogabat, quàm legibus essent san-

citæ, & indicta causa, sententias plerumq; ferebat. Malta delicta antiqua, quorum memoria aboleuerat, peiori exemplo puniuit, quam quo commissa sunt. Nullum etiam apud illum, circa punctionem, discrimen inter profanos homines, sacerdotes, monachos, aut Pontifices. Cum enim nonnulli sacris initiati, de sui iudicij incompetencia exciperent, suspendi laqueo, aut decapitari iubebat: & ad Christum suum competentem iudicem, eos remittere dicebat. Sæpe manu propria, culpa deprehensos, aut diffamatos flagellabat, flagellumq; semper secum gerebat.

Tres vno tempore Petri Crudeles regnabant in Hispania: hic in Portugalia, alter in Castella, tertius in Aragonia, & Carolus II. in Nauarra: ut non ita calu facti, sed pacto conuenisse omnes viderentur, ad iniurias subditis inferendas.

Hanc tamen Petri Lusitani asperitatem, seu crudelitatē nulla auaritiæ species comitabatur: quin immo bona, que ad fiscum erant deferenda, alijs donabat. Nec in aliquem, nisi in criminosos, aut quos pro criminosis habebat sœvitiam exercuit. Alijs benignus & liberalis. Vnde plures illum Iustitiarium vocabant, quam Crudelem. Illud sæpe

iactabat; indignum sibi videri Regis nomine eo die, quo nihil cuiquam prestatisset. Aulicis diaria, aut menstrua, quæ loco cibariorum soluebantur, ob auctum pretium vietualium, auxit. Illud etiā sœpe dicebat cubicularijs, cingulum sibi laxarent, ne corpore presso, non posset manum extendere: indicans scilicet, Regem debere esse largum.

Quadriennio post mortem patris, publicè testatus est, Agnetem sibi iustum fuisse uxorem: & filios ex ea legitimè natos habendos esse. Sed nihil apud Pontificem profecit, quo ad filiorum statu. Illam verò ut Reginam coli mortuam, & ita vocari, præcepit. Regia etiam pcpma eam ex coenobio Sanctæ Claræ Conimbricensi, ad Alcobaciense, lectica ornatissima transferri curauit, dcdūcētibus eam Episcopis, Clero, & omnium ordinū hominibus, atque illustrium matronatum comitatu. Cumq;ue Alcobacia distet à Conimbrica LXVIII. millibus passuum, toto illo itinere, inter ardentes tædas, ab vtroq; latere caclauer incessit, multis hominum millibus ad id dispositis. Et in nobilissimo marmoreo tumulo collocauit, Agnetis effigie Regio diademate insignita.

Petro verò Coëlio, & Aluaro Gondissaluo, qui
ne-

necis Agnetis authores extitere, è Castella, permuntatione fontum: ni Castellanorum facta cum Petro Crudeli, Sanctamrenam allatis, corda viuentibus extrahi iussit, Coëlio à pectore, Aluaro autem à tergo, eosq; exuri fecit: quasi hoc sacrificio Agneti parentaret. Quod non tanta crudelitate horum Regum perpetratum fuit, quām perfidia. Petrus enim Lusitanus fidem illis fregit, quibus iureiurando pepercerat: Castellanus eos prodidit, qui ad illum tanquam ad asylum confugerant, & suę fidei & tutelę se commiserant.

Obiit Petrus Estremotij, anno M CCCLXVIII. vixit annos XLVII. menses IX. dies VIII. Regnauit annos X. menses VII. dies XX. Sepelitur Alcobaciæ iuxta Agnetem.

DE FERNANDO REGE IX.

FERNANDVS Petri & Constantiae filius vxorem duxit Leonoram Telliam, filiam Martini Alfonsi Tellij, nuptā Ioanni Laurentio Cugnæ viro antiqua nobilitate, & iam ex eo matrem. A viro autem eam abduxit eo prætextu, quod matrimonium inter illos constare affi-

nitatis ratione non poterat : cum ramen Ioannes Laurentius à Summio Pontifice legibus fuisse solutus. Metu verò tanti riualis, Ioannes in Castellam se contulit. Erat autem Leonora eximia pulchritudine, & venustate prædita, & mira sermonis & morum elegantia. Quam cum Rex in domo Beaticis sororis vidisset, miserè deperijt: & contra Regni procerum sententiam, vxorem duxit.

Ex eo matrimonio, seu potius adulterio , nata est Beatrix, quam cum pater multis despondisser, Ioanni tandem I. Castellæ Regi locauit. Fuit Beatrix summa pudicitia, & multis virtutibus admiranda. Quæ cum iuuenis adhuc à viro relicta esset, & multi Príncipes eius matrimonium ambirent, respondit: Bene moratas mulieres, non solere bis nubere: ed magis ob id laudanda, quod filia Leonoræ esset. Nati Fernando sunt & pueri duo, qui in cunis obiere.

Illegitimam habuit Isabellam, quæ Alfonso Comiti Gigionensi Norognæ Domino, filio illegitimo Henrici II. Castellæ Regis nupsit. Ex quibus Norognarum familia in Portugalia nobilissima procedit.

Successit Fernandus in magnas parris diuītias, quas pessimo consilio dissipauit. Interfecto enim Petro Castellę Rege ab Henrico fratre illegitimo, qui Regnum occupauit, vt hominum natura varia est, nec cum rebus humanis tam preclarè agatur, vt plures meliora sequantur, fuere mulei, qui non tam Regis omnium crudelissimi desiderio, quam nouarum rerum studio, ab Henrico Rege optimo & tyranicida, potius quam parricida descuerunt, & necem Petri vindicandam censuerint. Multi igitur ad Fernandum confugere, tanquam ad proximum Petri cognatum, eius opem implorantes, vt occisi Regis manes vindicaret, & autem Regni ius persequeretur, quod sibi deberi dicebant.

Erant huius sententiae, ultra magnum nobiliū numerum, qui ad Fernandum vénere, Alfonsus Episcopus Ciuitatensis: qui ei arces Hinojox & Vmbralis tradidit, Comes Fernandus à Castro, & Aluarus Peresius à Castro fratres, Melenus Suarius Alcantarcensis militiae Magister, Suarius Ioānes Parada Gallicæ Præfectus, Ioannes Fernandus Anderius, qui Comes fuit Aurensis, Dia Sanctius Præfectus Cazorlæ, Petrus Giron qui titulum Magistri Calatruvæ usurpabat. Ciuitates &

& Castra, quæ Henrico parere nolebant, & in Fernandum propendebant, Zamora, Carmona, Civitas, quam Rodericiam appellant, Cauria, Ledesma, Alcantara, Valentia. In Gallecia ciuitates Copostellana, Tudensis, Orensis, Lucensis. Oppida Patro, Brigatum, quæ aliter Corugna, Saluaterra, Baiona, Allaritium, Milmada, Arausium, Ripa Aua.

Fernandus, qui in ætatis flore erat, gloriæ cupidissimus, & animi inquieti, nec satis prudens, multis etiam diuitijs affluens: quæ semper aliquid iniquum suadent, occasionem non aspernatus, de Regno Castellæ cum Henrico cœpit contendere, & se & suos innumerabilibus exposuit laboribus, diuturno bello iactatus. Quare rebus non bencecentibus, externum ex Anglia acciuit militem, qui infestior fuit Portugaliæ, quam fuisset hostis.

Fuit Fernandus per omnes ætatis gradus forma eximia, & tanta Regiæ maiestatis specie, ut ignotus inter multa hominum millia eiusdem cultus, Rex existimaretur. Fuit suauissimis moribus, crudelitatis & vindictæ inimicissimus, & ultra modum liberalis. Alfonso cuidam à Moxica Castelanó, ex his, qui ab Henrico ad eum descierant,

Vna die loco congiarij misit XXX equos: XXX mulas: XXX thoracas cum tota panoplia: XXX mille libras argenti signati, quæ efficiebant mille CCC. marchas: quatuor ingentes mulos tapetibus, & lectorum stragulis vestibus onustos: & Regium diploma, quo illi nobilissimum Turrium. Veterum oppidum perpetuo iure dopauit. Hunc effectum est, quod cum tota Portugalia ipsius Fernandi culpa, & inconstantia, in maximas calamitates, & damna tam ab hoste, quam à milite externo, domi illata incidisset, nemo illum odio prosequebatur. Tam efficax est, ad hominum animos demerendos, mansuetudo, & benignitas.

In valetudinem diutinam incidit: ex qua obiit Olisipone, animo sanctissimis sacris expiato, & magna erratorum pœnitentiae significatione, anno MCCCLXXXIII. ætatis suæ XLIII. mens. X. die ~~XVIII.~~ XVIII. Regnauit annos XVI. menses IX. Sepelitur Sanctarenæ in cœnobio Franciscanorū, iuxta matrem Constantiam.

DE IOANNE. I. REGE X.



O A N N E S. I. qui ob multa memorabiliter ab eo gesta, Rex bona memoriae cognominatus est, filius fuit

DE VERA REGVM TORTVG.

Filiu cuius fuit illegitimus Petri Regis. Natus anno MCCC
d'Ferdinan LVII. XI Aprilis die. Infans domi cuiusdam ci-
di Monachi uis Olisiponensis epuritus. Puer traditus est in-
Arterius stituendus Norio Freirio Andradio Christi mi-
facit Illescas. litiæ Magistro. Septenni pater Magistratum Aui-
in Vita Joannis siensis militiæ contulit. In prima adoleſcētia cre-
+ Castella- atus eques, militiæ tyrocinium non sine laude fe-
ſat. ut Castella- nus, male ap. cit. fatus.

Mortuo fratre Fernando, & gubernante Leo-
nora Regina, cùm omnes tñderet authoritatis, qua
Comes Ioannes Anderius apud illam valebat, cu-
ius nutu omnia siebant, & qui viuente Fernando,
adulterium cum illa (vt fama erat) commiserat,
tanta claritate, vt crederent Regem consciū fu-
isse, & dissimulasse, fuere qui Ioannem adhorta-
rentur, vt iniuriam fratri & sibi illatam vindica-
ret, & hominem sibi inimicum de medio tolleret.
Consilio enim Reginæ & Anderij, Fernand[us] loā
nem hunc fratrem vinculis asseruari fecit: & imi-
tato chirograho Regis, Leonora nocte quadam
subito eum decapitari iubebat, Rege inscio, nisi
custos carceris Martiñus Alfonſus Melius, homo
nobilis & cordatiſimus suspectas literas credēs,
pœnam distulisset.

His

His incensus, Ioannem Anderium in Reginæ aula obtrūcauit: eoq; in periculo tota ciuitas Olisiponensis affuit Ioanni, & incolumem domum reduxit: illum assertorem & vindicem publicæ libertatis proclamans. In cuius amore tam propensi ciues erant, quam Reginæ infensi. Regina, relicta vrbe, Gerabricam contendit. Ciues autem Ioannem Ducem & defensorem elegerunt, qui Portugaliam ab iniuria Regis Castellæ defendere, quòd contra pacta conuenta, & iureiurando firmata veniret. Actum enim erat inter illum & Fernandum sacerum, & proceres Regni vtriusq;; vt vsque ad Regni hæredem nasciturum ex Beatrice, eumq; adultum, Portugalenses suis rectoribus, suis legibus gubernarentur, & Portugaliæ signis & nota, moneta cuderetur. Ioannes verò Castellæ Rex pactis non acquiescens, & meliora suorum non audiens consilia, in Portugaliam contendit: & Olisiponem Regni caput terra mariq; obsedit. Pestilentia deinde coactus, quia magnam exercitus partem amisit, eo tempore quo iam obsessi fame miserrimè premebantur, re infecta discessit. Multis tamen Regni proceribus, & arcium Præfectis eum Regem agnoscentibus.

Hoc Regis Castellæ discessu, Ioannes Lusitanus

DE VERA REGVM PORTVG.

animos sumens, Conuētus Conimbricę celebrat, quō Episcoporum aliqui conuenēre, & ij pauci nobiles, quos libertatis amor, aut studium rerum nouarum mouebat: vt sit in Repub. vacua. Maior enim & præcipua pars procerum, in Castellæ Regem veluti in potentiores propendebant: vt qui feuda, & bona Regij iuris possidebāt, quibus nolebant spoliari. Fuere in Comitijs diuersa partium studia, cum tamen omnes in hoc conuenient, vt Rex declararetur. Alij enim Ioannem Infantem Regis Petri & Agnetis à Castro filium, qui in Castella asseruabatur, Regem volebant. Alij hunc, quem defensores fecerant, & Duxerunt. Tandem ipsum Ioannem Magistrum Auisensem Regem salutarunt.

Incitatus his Ioannes Castellæ Rex in Portugaliam rediit, cum numero ex exercitu, collecto equitatu ex præcipua Hispaniæ nobilitate, & Gallorum auxilijs, quo iterum Olisiponem obsidere terra parabat: quam iam obsessam ingenti habebat classe. Capta enim Regni metropoli, totum Regnum debellatum credebat. Ioannes autem nouus Portugalie Rex cum Nonio Aluaro Pereira, quem Comestabilem crearat, & qui in ea

re strenuam nauauit operam, euntē exercitū inter Portum molarum, & vicum Aljubarotam, aggressus per paucis, quos colligere potuit, collatis signis, in latissima illa planicie dimicauit: & paucarum horarum spatio Lusitani Castellanos fuderūt, magna eorum strage edita, multis etiam captis, reliqui in fugam versi.

Ioannes autem Rex Castellæ, qui quartana laborabat, & eo die febris accelsio fuerat, equo insensō, quanto maximo potuit cursu, Scalabim, vulgo Sanctarenam, ea nocte p̄uenit: & inde clanculum Olisiponem petens, nauem suæ classis ingressus, Hispalim delatus est, tanto animi mœrorē, ut nullum solatium admirteret: non tam quod victus fuisset, (ut ipse dicebat) quam quod victus à Lusitanis illis tam paucis, quos ipse nihil faciebat: & quod florem Hispanæ nobilitatis, & omnes ferè Gallos socios amisiisset. Hac Victoria parta, reliquæ Regni ciuitates & oppida in dedicationem venerunt.

Sublato de medio Ioanne, cum filio Henrico III. & Ioanne postea II. fœdera iniuit utili & honesta conditione.

Anno verò MCCCLXXXVII. vxorem duxit

DE VERA REGVM TORTVG.

Alecastros
Philippam filiam Ioannis Ducis Lancastrensis filij Eduardi VI. Regis Anglie: qui in Portugaliam venit, Castellæ Regnum recuperaturus, quod sibi deberi, ratione Constantiæ uxoris filiæ Petri Cru delis dicebat: super quo cum Ioanne possessore transegit. Ex ea autem hos suscepit liberos.

Blancam, quæ puella obiit.

Alfonsum primogenitum, qui vixit annos X. Sepelitur Bracharæ in summo templo. Obiit anno M CCCC. Die XXII Nouembris.

Eduardum Regni successorem, qui proauum maternum nomine retulit, Eduardum scilicet VI.

^{2do Infante} Petrum Ducem Conimbricensem, virum bello
^{fieri cavalleiro} & pace clarissimum, & prudentem, ut qui in multa ordenda
^{Careta embl} tas Europæ, Asiae, & Africæ vidit vrbes in longissima
^{glateria. 2na} illa peregrinatione, qua Sigismundum Imperatorem iuuuit aduersus fidei hostes. Fuit hic non solum militari disciplina excellens, sed & litterarum studijs deditissimus, & multarum artium callens. Scripsit multa prosa & versu, & nonnulla è patrio sermone in Latinum vertit: cuius hodie extant carmina de moribus, doctrinæ & prudenter plena. Vxorem duxit Isabellam filiam Iacobi

Vr

Vrgellésis Comitis, & Isabellæ filię Petri IIII. Aragoniæ Regis. Ex ea sustulit Petrum illum à Ca²⁴thalanis Regem Aragoniæ electum, in eodium²⁵ p. 16. 6. in Ioannis II. qui breui veneficio obiit mortem. ^{Mercas} Joannem Conimbricensem, qui Carlottam Ioannis Regis Cypri filiam heredem vxorem duxit, & viuente socero moritur. Iacobum Cardinalem Sancti Eustachij Archiepiscopum Olisiponésem, iuuenem animi modestia, grauitate, ingenij acuminè, & eruditione præstantissimum, & continētissimum. Qui cum omnis libidinis expers esset, & in grauissimum morbum incidisset, à quo liberari posse medici dicebant, si fœminæ accederet, magno animo, & maiori puritate respondit: Malle se mori, quam pollui. Obiit Florentiæ, & ibi sepelitur honorificètissimè in æde S. Miniati. Isabellam etiam sustulit Reginam Portugaliæ, Alfonsi V. ex fratre nepotis uxorem. Beatricem, quæ cum in Burgundia apud amitam Isabellam esset, Adolpho Rauastano Dynastę Cliuensis Ducis filio, matrimonio locata est. Philippam, quæ Odiuellensis parthenonis monacha vixit. Hic autem, dum iustè Regnum gubernat pro Alfonso Rege puer, in inuidiam multorum incurrit, quorum cupiditatem non expluerat, & suorum etiam

DE VERA REGVM PORTVG.

etiam machinatione apud adolescētulum Regem delatus perijt, anno M CCCC XLIX. XX die Maij.

Henricum Ducem Viseensem, & IESV Christi militiae Magistrum, cuius in Septēsi expugnatione enituit virtus. Fuit hic Geographiæ studijs de- ditissimus, & cui acceptæ ferendæ sunt, tam ad orientem, quam ad occidentem Hispanorum nauigationes. Oblata enim occasione ex ea Septēsi expeditione, latius euagandi, & cupiditate incensus terras ignotas explorandi, classes parauit, quibus non solum Africæ littora, & eas maritimæ regiones, quæ extra fretum Herculeum ad Austrū spectant, lustrarent, sed longius etiam progrederetur. Cuius opera factum est, ut tam hominum industria, quam tempestatis euentu, Africæ bona pars, quæ ad Æthiopiam pertinebat, & Insulæ multæ Oceani Lusitanorum ditioni cederent. Ut verò hæc cōmodius efficeret, in Algarbij Regno, Lusitanæ parte secretiore, vbi Sagris oppidum est, ad Sacrum promontorium, Sedem constituit, ut inde classes emitteret, & orientis viam aperiret. Morte autem prohibitus est, ne eo perueniret, anno ætatis suæ LXVII. salutis verò humanæ M CCCC LX. Nulos hic liberos reliquit, præter ados

adoptiuum Fernandum nepotem ex fratre Rege Eduardo, ut qui cælibem, & ab libidine alienam vitam egerit.

Ioannem Sancti Iacobi militiæ Magistrum, ac Portugaliæ Comestabilem, virum prudentem, & pium, & Reipub. amatissimum. Duxit hic Isabellam filiam fratris Alfonsi Comitis Barcellensis, primi Brachantiæ Ducis: ex qua habuit Iacobum, qui ei in Magistratu S. Iacobi & Comestabilis dignitate succedit, & adolescens moritur. Isabellam, quæ Ioanni II. Castellæ Regi locata peperit magnam illam Isabellam Reginam Catholicam, & Alfonsum, qui procerum quorumdam defectione, Castellæ Rex electus est, viuente adhuc fratre Henrico, XII annum agens, & veneno necatus est. Sustulit & Beatricem, quæ Fernando eius nepoti ex Eduardq Rege fratre nupsit: ex quibus Emmanuel Rex nascitur. Habuit & ^{hac Philippam} ~~Philippam~~, quæ in cælibatu vixit. Obiit Ioannes ^{ignomen} ~~bonitatem~~ de Lenas ^{et est pri-} ~~ma~~ ^{ano 1454} salutis MCCCCXLII. Isabella autem eius vxer ^{est in hoc} moritur Areuali, dum Isabellam filiam Reginam Castellæ viduam inuisit, anno MCCCCLXV.

Fernandum Magistrum militiæ Aviensis ^{gros Jour. L. 1454} Cl^ore Ioannis De^{ster} labori & dilectio^s f^lam.

DE VERA REGVM PORTVG.

sterciensis ordinis, virum mira probitate, & vitæ sanctimonia. Obses hic datur Sarracenorum Duci Salæ Aben Salæ, donec Septensis ciuitas ei traheretur, iuxta pacta inita in funesta illa expeditione Tingensi. Mortuo autem Rege Eduardo fratre, qui redemptionem eius contra procerum vota procurabat, & testamento cavit, in captiuitate mansit sexenium, in qua vitam morte commutauit, tantas perpellsus ærumnas, & tanto pietatis Christianæ exemplo, ut meritò videatur inter martyres referendus. Obiit anno MCCCC XLIII. Anno etatis sue XLI. Allata sunt eius ossa ex Africa in monasterium Batallense, vbi iuxta patrem sepelitur.

Isabellam, quæ Philippo III. Burgundiæ Duci Flandriæ, Hânoniæq; Comiti, multarumq; prouinciarum Domino tertia fuit vxor. Nuptias huius maiori lætitiaz demonstratione, & magnificetiori apparatu Philippus celebrauit, quam cæterarum, tam propter saceri maiestatem, quam nos uæ nuptæ, quæ tam masculi fuit animi, & tata prudentia prædicta, vt sine eius consilio, nihil Philippus inchoauerit, nihil perfecerit. Nec minoris fuit apud subditos, quam vir. Ex hoc matri-

mo.

monjo natus est Carolus pater Matiae Maximiliani. I. Cesaris uxoris, qui in praetorio ad Nancem occubuit. In gratiam vero Isabellae, & primo nuptiarum die, instituit Philippus celebrem illam aurei velleris militiam, sub Diui Andreæ patrocinio, quem ab aureo Argonautæ Iasonis vellere, voluit appellari: ut ex diplomate ipso institutionis constat: denotans eo insigni expeditionem longinquam parare, ad bellum scilicet transmarinum.

*I. Brachard
Oma*

Illegitimum habuit Alfonsum Ducem Brabantiae primum, qui Beatricem filiam heredem Nonij Aluari Pereiræ Comestabilis duxit uxore. Ex his natus est Alfonsus, qui fuit Comes Aurenensis, postea Marchio Valentia, & viuo patre obiit Tomarij, anno MCCCC LX. Fernandus etiam Comes Arraiolensis Marchio Ville Vitiosæ qui in Ducatu patri successit. Isabella, quæ Ioanni Ioannis Regis filio locata est. Obiit Alfonsus anno MCCCC LXI. Sepelitur Aquis Flavis directionis suæ oppido.

Sustulit etiam Ioannes Beatricem illegitimam, quæ Comiti Harondelli Regis Angliae propinquo nupsit.

DE VERA REGVM PORTVG.

Vbi pax parta est, & data à bellis cum finitimis
quies, ne in senectute quicquam de glorię studio
remittere videretur, & filijs aliquod disciplinæ mi-
litaris documētum daret, ad fidei hostes animūm
conuertit: & maxima instructa classe, contra Hol-
landiæ Ducem ire fingens, quem per simulatio-
nem prouocauerat, ob iniurias ab eius classibus
illatas Lusitanis, Septam Mauritanicæ Tingitanæ
urbem maximam, & opulentissimam, atque mu-
nitissimam in ora Gaditani freti sitam petiuit, &
yno die expugnauit, magna Sarracenorum strage,
anno MCCCCXV. die XXI Augusti. Erat ea
vrbs Africæ specula, atque propugnaculi in His-
paniæ oppositum, atque obiectum, è cuius por-
tu classes emittebātur, quibus sæpe clades nostris
illata est, & ingens illa Sarracenorum multitu-
do ad nos transfretabat. Vnde non innierito Hispa-
niæ clavis Septa appellatur. Hodie Episcopali di-
gnitate fungitur.

Nec inter arma leges, quas iustissimè tulit, si-
luere. Florebat enim tunc in Portugalia Ioannes
ab Aregis, toga militiaq; clarus, & iuris scientiſ-
simus, qui Bartoli auditor fuerat. Huius opera
instituit Rex, Codicem Iustiniani in patrium ser-
monem verti, additis nōnullis Accutisj & Bartoli
do-

doctrinis, opus utile & optimè cōcinnatum: quod legum Regiarum vigorem habere edixit.

Ecclesiam Olisiponensem Cathedralem, quæ olim suberat Emeritenſi, postea Bracharenſi, Metropolitanam fieri curauit.

Magnanimitatem Ioannis testantur etiam adiſcia, in quibus authoritas, & magnificentia cum elegantia structuræ certat. Eius enim opera sunt cœnobium illud Regium Batallense Virgini matri dicatum, Sancti Dominici instituti. Quod eo loco fundauit, quo memorabilem illam de Rege Castellæ victoriæ adeptus est. Testantur & Regiæ domus, Sintræ, Olisiponis, Sâctarenæ, Almeiriæ, & alia multa.

Deniq; fuit Princeps ille non virtutis tantum militaris, & imperatoriæ glotia præcellēs, sed laudibus etiam religionis, magnanimitatis, liberalitatis, & clementiæ præstantissimus. Nonnullis enim, qui in eius caput coniurauerant, non percit modò, sed muneribus etiam postea affecit. Vnde illi, inter cæteros Reges, durat adhuc bonæ memoriae honorificum cognomentum.

Obiit anno MCCCCXXXIII. Vixit annos

DE VERA REGVM PORTVG.

LXXVI. menses III. dies III. Regnauit XLVIII.
mens. IIII, dies IX. Cum admirabili pompa, &
ad illud tempus insolita, perductus in triumpha-
li curru ab omnium ordinum hominibus, comi-
tantibus filijs, in monasterium Batallense.

DE EDVARDO REGE XI.



DWARDVS Ioannis. I. filius
vxorem duxit Leonoram Fernan-
di. I. Aragoniae & Siciliae Regis
filiam. Ex ea sustulit,

Alfonsum, qui in Regno ei successit.

Fernandum Ducem Viséensem militiarum Chris-
ti & Sancti Iacobi Magistrum, & Regni Come-
stabilem; qui Beatricem Ioánnis patrui sui filiam
duxit vxorem: ex qua nati Leonora, quę Regi
Ioanni II. fratri suo patrueli nupserat. Isabella,
quę Fernando II. Brachantię Duci. Catharina,
quę puella obiit. Ioánnes, qui patri in Ducatu
successit. Iacobus, qui Ioanni fratri. Eduardus,
Dionysius, & Symon, qui pueri sunt extinti.
Emmanuel, qui Rex fuit Portugalię. Obiit Fer-
nandus Cetobrice XVIII die Septembri, anno

M

M CCCCLXX. Sepelitur Pace Iulia. Vixit annos XXXVI.

Philippam, quæ XII annum agens, pestilentia morbo obiit Olisipone.

Leonoram, quæ ætate XVI annorum Federico III. Romanorum Imperatori locata est. Hęc sub custodia Alfonsi Marchionis Valentiae, Ludouici Coutignij Episcopi Conimbricensis, Lupi Almede, qui primus Abrantensis Comes fuit, & Guiomaræ Villæ Regalis Comitissæ, in Italiam ad spousum, eō è Germania venturum, delata est. Quam Senis honorificentissimè exceptam (ut marmoreus lapis hodie testatur, quem Senenses in eius rei memoriam erexere.) Federicus Romam deduxit, comitantibus Ladislao Hungarie Rege, & Alberto Archiduce Austriae: vbi manu Pótificis inter missæ solēnia, ea in vxorem accepta, vñctio- nis & coronationis vtriusq; sacra peracta sunt. Inde ad Alfonsum auunculum Neapolim deducitur. Quo salutato in Germaniam tendit. Ex Federico & Leonora Maximilianus Cæsar Princeps laudatissimus nascitur, proauus PHILIPPI Catholici Regis nostri.

Catharinam, quæ cum Carolo Nauarræ Princi-
cipi

DE VERA REGVM PORTVG.

cipi Ioannis auunculi sui filio pacta esset, & post
hunc Eduardo III. Angliæ Regi, cœlebs tandem
moritur Olisipone, in parthenone Diuæ Claræ
XII die Iunij, anni M CCCCLXIII. & in cœno-
bio Sancti Eligij sepelitur.

Ioānam Reginam Castellę vxorem Hérici IIII.
matrem Ioannæ Reginæ designatae, quæ Alfonso
V. Portugalie Regi aunculo desponsata, Regno
spoliata est ab Isabella Catholica, & Fernando vi-
xo eitis, quod adulterio concepta diceretur. Vnde
magna illa disceptatio inter Alfonsum & Fernā-
dum de Castellæ Regno, ingenti vtriusq; Regni
calamitatet; & predium illud celebre apud Tauū,
quo Lusitani fusi sunt, excepto Principe Ioanne,
qui ab statione sua non recessit.

*vulgo obtem
neis rocabat.* Fuit Eduardus multis animi dotibus prestante
sat hoc fuit tissimus. Equitandi, venandi, & luctandi artem
magni ^{Cas} adolescentis ita exercuit, ut omnia suis temporis
tillanorum ^{fla} prestataret. Literarum doctrina tantum valuit, ut
gitorum ^{disq} non modo multa cognorit, sed & literis manda-
ut *Milesias* 2. e. 16. 6. inuerit. Librum ad uxorem scripsit, de fido cōsiliao
^{D. Henrique} *rio*. Composuit & de arte equitandi volumen. Et
4. ^{ut de} *ludibria Joan* inter alia, quæ de moribus edidit, fragmenta ex-
narrat. Regine ^{cant} hodie de Iustitia
filiis, Agostolo, et Petro, à Petro de Castilla concegit ad ultima.
Huo

Humanitate & eloquentia tantum valuit, ut omnium animos ad se traheret. Religionis Christianę fuit vigilantissimus obseruator. Cibi & potus parcissimus. Doctorum hominum maximus fautor. In eo deniq; Principe nihil erat, quod pesset desiderari, nisi fortuna melior. Multa enim tristia suo acciderūt tempore. Nam quinquénio toto illo, quo regnauit, pestilentia adeo grassata est, ut semper fuerit iactatus, nec in uno loco consistere potuerit. Captiuitas etiam Fernandi fratri, qui obses datus est Sarracenis, pro Septæ restituzione, cum magno affectu mœrore. Aut enim ei carendum erat fratre optimo, & amantissimo, & inter crudelissimos hostes relinquendo, aut totius Hispanię propugnaculum fidei inimicis, in peiniciem Reipub. Christianę tradendum. Testamento tamen cautum reliquit, ut Septa reddeatur pro fratre.

Illud etiam Eduardi infelicitati adnumerari potest, quod cum quatuor haberet fratres viros optimos & fortissimos, uxori Leonorę summam rerum regendam, suprarema voluntate demandarit, contra fratum expectationem, & populi votum. Vnde magna nata sunt dissidia & calamitates, quales sub puerō Rege contingunt, & ipsius Regi.

DE VERA REGVM PORTVG.

ginę exilium , & intempestiuā mors. Ægrē ferebant enim Principes illi, à foemina externa, & aliorum arbitrio pendenti , Regnum paternum gubernari, & in interitum duci.

Primus hic Regum Portugalię, filium primogenitum Principem vocari instituit.

Cum pestilentia non Olisiponem modò, sed plerasq; Regni partes affligeret, & varias sedes coactus esset mutare, Nabantiam, quam vulgo Tomarium vocant , Augusto mense petiuit, & ibi gliscentis morbi cōtagione, ex epistola (vti aiunt) accepta obiit anno M CCCCXXXVIII. Septembris die IX. qua magna solis fuit defectio. Vixit annos XXXVII. Regnauit V. dies XXV. Sepelitur iuxta patrem in Batallensi cœnobio.

DE ALFONSO V. REGE XII.

 L F O N S V S V. à patre Eduardo sexeninis relictus est sub tutela matris. Erat autem ea infensa Petro Infantī, ob occultas odij causas. Has nonnulli referebant ad inimicitias, quas Iacobus Vrgellensis Comes Petri sacer,

cer, & eius vxor gessere cum Fernando Aragoniq
Rege Leonoræ patre, ob Regni successione[m], cu-
ius sententia perduellionis damnatus est Iacobus,
& in vinculis ad mortem usque afferuatus, & bo-
na eius fisco addicta. Contédebat enim Iacobus,
ad se Regnū Aragoniæ pertinere, quod arbitrorū
sententia Fernandus obtinuit. Accedebat quòd
Petrus ceteris fratribus defūcti Regis maior, erat
vir prudens, & Reipub. administrandæ peritus,
& propter morum integritatē populo nimis gra-
tiosus. Regina autem præterquam quòd mulier
inconstans, nec rei administrandæ satis gnara, in
Petri aduersarios, Comitem scilicet Barcellensem,
fratrem nothum Petri, & Comitem Aurenensem
eius filium, Petrum Norognam Archiepiscopum
Olisponensem, & alios, propendebat. Vnde ma-
gna inter vtrosq; odia, & seditiones. Populus au-
tem Olisponensis Petrum ipsum ferè inuitum,
& renuentem, tutorem Regis, & Regni defenso-
rem creat, ablegata Reginæ, pueri Regis educan-
di cura. Cui multæ Regni ciuitates, & oppida cō-
sensere, Reginamq; tutela interdicunt. Quod illa
non ferens, in Castellam se contulit, ubi miserri-
mè vitam finiuit.

Inter has Petri & Alfonsi Comitis Barcellensis

h dis.

DE VERA REGVM TORTVG.

discordias, Rex pupillarem excessit etatem, & Regni administrationem capessit. Loco autem gratiae, quam referre debuerat Petro socio, & tutori, ob rem bene administratam, exulare eum coegerit: & ob calunias tam fratrī Alfonsi, quam aliorum, venienti Sanctarenam ubi Rex erat, ut se purgaret, quod defendendi sui causa, armorum cohorte stipatus veniret, si vis aliqua ab aduersariis ei inferretur, Rex cum exercitu obuiam it, & inito cum eo prælio, Petrus interficitur, & insepultus triduo iacuit inter vilissimorum hominum cadavera. Postea vero ut quilibet gregarius miles humatur.

Huius Petri filiam Isabellam duxerat Alfonsus uxorem anno M CCCCXLVIII. ex qua Ioanne primogenitum sustulit, qui in cunis decessit.

Ioannam, quae in monasterio IESV Aueriensis oppidi, ordinis S. Dominici, clausa vitam egit.

Ioannem alterum, qui in Regno patri succēsor.

Fuit Alfonsus animi invicti, sed magis ad belli quam ad pacis artes aptus. Fretum Herculeum trajecit, & multas de Sarracenis adeptus est victorias,

rias, vnde illi Africani cognomentum. Tingim
vrbem nobilissimam, & antiquissimam, vt quam
ab ipso Anteo cōditam dicunt, Zelen, quam Ar-
zillam nunc appellant, Alcassarem Seguerium, &
alia oppida debellauit, & ditioni sux adiecit. Do-
mi remissi fuit animi, & negligenter iustitiam
exercuit. Vnde nobiles suo tempore insolentiores
redditi. Quorum mores dum subito cōpescere co-
natur Ioannes filius, seuerior est habitus, & in gra-
uissima incidit odia. Tanta præterea fuit comi-
tate, & humanitate, vt de maiestate multum de-
traheret. Hinc multorum improbae postulatio-
nes, & Regij patrimonij multa elargita. Alienā
contempſit consilia proprium fecutus, ex quo in
graues errores incurrit. In reliquis magni animi,
liberalis, & mirè clemens.

Ioannam Henrici IIII. Castellæ Regis filiam, ^{Hæc est gen-}
neptem suam ex sorore Ioanna, Castellæ Regi- ^{vulgo vocati-}
nam designatam, mortuo Henrico, sponsam ac ^{Bellunay}
cepit, ab Archiepiscopo Tolletano, Marchione ^{cotius sum-}
Villenæ, Duce Areuali, & alijs proceribus in Caen, ^{fligitijs. gen-}
stellam accitus. Vnde bellorum, & multarum ca- ^{ta.}
lamitatum orta sunt principia.

Fuit corpore robusto, vultu amabili, Religioso-

DE VERA REGVM TORTVG.

rum & doctorum hominum fautor, & literarum studijs eruditus. Quotidianus illius sermo tam elegans, & cultus erat, vt præmeditatò, & ex arte videretur loqui. Cibo, potu, & Venere, continētissimus. Ab Isabellæ enim vxoris obitu, cum ætate adhuc esset XXIII annorum, aiunt experientem vixisse libidinis usque ad mortem.

Post è Gallia redditum, quó auxilium petiturus iuit à Ludouico XI. homine vafro, à quo deceptus est, solitariam vitam agebat, & mœrore contracto ex Ioannæ sponsæ coacto in religionem ingressu, cuius patrocinium suscepserat, in febrim incidit acutam: ex qua Sintré in eodem cubiculo, quo natus est, obiit anno MCCCCLXXXI. Augusti die VIII. Vixit annos XLIX. menses VII. Regnauit XLIII. Sepelitur in monasterio Batalensi.

DE IOANNE II. REGE XIII.



OANNES II. Alfonsi V. filius habuit in matrimonio Leonoram filiam Fernandi patrui, fœminam formam, & ingenio præstantem; ex qua tulit Alfonsum Principem, qui

qui Isabella Fernandi, & Isabellæ Castellæ Regū filia, vxore ducta, cum qua vixerat menses VII. interijs Sanctarenæ anno ætatis suæ XVI. salutis humanæ MCCCCXCI.

In hoc Ioanne Rege fortunæ inconstantia, & humanarum rerum status satis perspici potuerunt. Nullus enim in nuptiarum lætitia maior apparatus, memoria hominum visus, aut auditus est, nec tata spectaculorum varietas, aut vestium tanta lautities, quanta in eius filij Alfonsi nuptijs fuisse traditur. Anteambulones, muliones, coqui, & alij Principum & nobilium ministri, aureis, argenteis, & hōlosericis induiti, vilia exercebant ministeria. Per Italiam, Hispaniam, & alias regiones, quicquid aurei, argétei, aut serici panni inuenit, nauigijs ad id missis emptum, & in Portugaliam allatum, pecunia præ manu textoribus solura, ad nouas telas conficiendas. Nullibi tot obsoniorum architecti, cantores, psaltes, mimi. Nullum triclinium maiora vidit epulatum portenta, nullus abacus vasa capaciora, nulli parientes superbiora aulæ, nec vlla ætas magnificentiores apparatus. Quorum fama, è diuersis Europæ partibus, ad eam celebritatem, conuenerunt multi,

edij

DE VERA REGVM PORTVG.

edictis etiam & p̄emijs propositis. Hæc omnia
paucis post diebus, quasi ludibrio id fieret fortu-
næ, in funebria, & luctus versa. Alfonsus enim
Princeps currentis equi lapsu, ad Tagi ripam ~~ad~~
~~ad~~, in piscatoris casa supet fœni strato loca-
tus animam exhalauit: & nobilitas omnis, quæ
auratis, & gemmatis vestibus splendebat, sacco
more illius temporis induita, sordebat. Et pro epi-
thalamijs lamenta, & v lulatus successere. Attulit
huius Principis mors omnium ordinum homi-
nibus ingētem mœrem, quem casus accrbitas,
ætatis conimiseratio, & eximia eius pulchritudo,
cum morum mira benignitate coniuncta, auge-
bant. Accedebat, quod vnicus erat Regni hæres,
in quo omnium spes erant sitæ.

Habuit & Georgium nothum ex Anna Men-
dociæ familiæ virgine nobili, qui Conimbricæ
fuit Dux, Marchio Turrium Nouarum, & ordi-
num Diui Iacobi & Auisiensis Magister. Is ma-
gni illius Aluari à Portugalia filiam Beatricem
duxit uxorem, è quibus Duces Aucrīses, & Lan-
castrorum familia procedunt. Hunc Georgium
conatus est pater legitimum facere, & Regni hæ-
redem, si tam Summi Pontificis Alexandri VI.
quam

quam Leonoræ vxoris voluntatem expugnasset: quæ Emmanuel fratre suo iure fraudari, non est passa. Vnde inter illam & Ioannem maritum maxima discordia & rixæ natæ sunt, vsque ad Ioannis excessum, cui Regina non interfuit.

Fuit Ioannes vir vehementis spiritus, & animi intrepidi, bello & pace strenuus: sed ingenij superioris, quam decuit. Vnde conspirationes in eum, & procerum cedes fecutæ sunt, & ipsius immatura mors, veneni suspicione. Quæ opinia vittasset, si duabus rebus Principi viro necessariissimis non caruisset, clementia scilicet, & dissimulatione. Extremum autem vitæ actum ita egit, ut inter Diuos multi eum referant.

Ingenij fuit liberrimi, & qui se nemini regendum traderet. Illudque semper habebat in ore, quod & opere comprobauit: Indignum eum esse Regis nomine, cuius voluntas alieno pendcret arbitrio. Vnde cum ex Angliæ proceribus quidam, è Lusitania ad suos rediisset, rogatus à Rege, quid illi in hac regione notabilius esset visum, respondit: Vidisse hominem, qui cum omnibus imperaret, imperabat ei nemo.

In

DE VERA REGVM PORTVG.

In beneficijs conferendis, & remunerando, nullam faciebat moram . Id enim quod dare statuerat, cito dabat, & sponte sua, ne videretur magis ab eo extortum, quam datum. Quare & accipientibus maiora, & honorificentiora videbantur beneficia, ad quæ à Rege grauissimi iudicij vocarentur: & gratia manebat apud ipsum, non apud ministros, aut dispensatores . Ne verò erraret in electione personarum, & meritis responderet beneficia, secretò habebat librum in scrinijs, in quo omnes, quibus se debitorem agnoscebat, erant descripti . Quid utinam Principes omnes facti-
tassent.

Susurrones ac maledicos, & qui apud ipsum absentes rodebant, aut criminabantur, non audiebat libenter . Sæpe etiam delatos, & absentes, acriter à calumnijs defendebat . Publicas enim censebat debere esse accusationes, non clandestinas . Nisi fortè in magistratus diceretur, quos publicè nemo audeat, aut debeat accusare . Tunc enim interesse Reipublicæ putabat, excutere quæ diceretur . Deprehensos autem culpa, sæpe secretò verbis castigabat, ne collegium, aut magistratum infamaret . Multa præterea eius præclarè facta, atq; dicta narrantur.

Nauigationis in Indiam gloriæ magna pars
huic Ioāni II debetur. Cum enim magno studio,
& sumptibus immodiciis institisset, vt Lusitanorū
clases maximam Æthiopiæ partem perlu-
strarent, in promontorium illud inciderunt, quo
nullum maius in toto orbe est. Cuius flexu explo-
rato, letissimus Ioānes, iam sibi in Indiam aditum
patefactum existimabat. Et ob id Bonæ spei pro-
montorium vocari iussit. Missis igitur in Æthio-
piam & Indiam, nonnullis, qui inuestigarēt, qua
ratione commodiūs ille cursus peragi posset post
promontorium, classem interim parari iubet, qua
magnum illud iter dirigeretur. Immature tamen
fato abreptus, quod mente, & animo concepit,
exequi, atque perficere nequituit.

Sancti Georgij castellum, quod Minam nunc
vocant, vnde quotannis magna vis auri Lusita-
norum Regibus aduehitur, ipse fundavit, initis
cum Æthiopiæ Rege fœderibus, & misso ad id,
Iacobo Azambugio viro nobili, & prudenti.

Obiit Ioannes Aluorij in Algarbij Regno (quó
pro recuperanda salute, & Balnearum causa iue-
rat) XXV die Octobris, anno MCCCCXCV.
Vixit annos XL. menses VI. Regnauit annos XIIIII.

DE VERA REGVM PORTVG.

menses II. Sepultus est in Syluensi Cathedrali ecclesia, vsque ad annum MCCCCXCIX. quo ab Emmanuele Rege in Batallése monasterium de- latus est, vbi pater & auus erant conditi.

DE EMMANVELE REGE XIII.



M M A N V E L Eduardi Regis nepos ex filio Fernando, & multorum fratrum ultimus Ioanni II. patrueli sine liberis legitimis decedenti succedit. Tres habuit uxores Isabellam Fernandi, & Isabellæ Castellæ Regum filiam natu maximam, quæ Principi Alfonso Ioannis filio nupsérat: cuius causa Castellæ & Legionis Rex designatus est. Ex ea sustulit Michaëlem, qui in cunis extinctus est. Cuius morte ius Castellæ Principatus ad Ioannam Philippi Archiducis Austriæ uxorem cœpit pertinere. Duxit secundò Mariam Isabellæ sororem, quæ ei peperit Ioannem Regni successorem, VI die Iunij anni MDII.

Isabellam Augustam Caroli V. Imperatoris uxorem, ex qua nati PHILIPPVS Rex noster. Maria

AU-

Augusta, quæ Cæsari Maximiliano II nupsit. Ioanna Ioannis Portugaliæ Principis vxor, quæ Sebastiani Regis mater fuit. Nata Isabella Olisipone anno M D IIII. Obijt Toleti Kalendis Maij anni M D XXXIX.

Beatricem, quæ Carolo Sabaudiaæ Duci nupsit, ex qua natus Carolus, qui adolescens obijt, & Emmanuel Philibertus Dux, qui Margaretam Francisci Valesij. I. Gallorum Regis filiam duxit vxorē, ex quibus natus Carolus qui hodie ditioni præest. Nascitur Beatrix Olisipone vltima die Decembris anno M D IIII. Obijt VIII die Ianuarij M D XXXVIII.

Ludouicum Ducem Pacensem, & Regni Co*m*estabilem. Excelluit Princeps hic inter alios sui temporis. Militaris disciplinę studio maxime deditus. Armorum, equitandi, venandi, & mathe*seos* peritus. Artium etiam libero homine dignarum non expers. Religione in Deum, pietate in fratres, humanitate in omnes nulli secundus. Nullos liberos reliquit legitimos, vt qui cælibe*vitam* semper egerit. Adolescēs Antonium Priorum Cratensem illegitimum sustulit. Obijt anno M D L V. Vixit annos XLIX. menes IX. *Antonius Regno à Brag*
Filiu nomine Emanuelli & Amelie Guilmo Radkowio et musici
Principi et Anna Scherma nata manus: exq; extant, Emanu
el, Tudorius, et quinq; filios.

DE VERA REGVM TORTVG.

Sepelitur in Bethleemitico fano.

Fernandum, qui Guiomaram Francisci Coutignij Comitis Marialuensis, & Beatricis Menesiae Comitislae Louleensis filiam duxit vxorem. Fuit hic pulcher aspectu, ingenio libertimo, aperto pectore, & ab omni adulationis specie alienus: & ob id Ioani fratri non admodum gratus. Abratij, ubi & natus est, obiit anno MD XXXIIII. aetate annorum XXVII. & ibi sepelitur, usque ad annum MD LXXXII. quo pientissimus Rex PHILIPPVS in Bethleemiticum fanum traduci curauit. Nulos hic liberos reliquit.

Alfonsum Cardinalem, Archiepiscopum Olisponensem, Episcopum Eborensem, Abbatem Alcobaciensem. Fuit hic Princeps munificissimus, & magnanimus. Tanta insuper maiestudine, & clementia, ut nemo unquam ab eo tristis discesserit. Quanta autem fuerit morum suavitate, & comitate, obitu illius intellectum est. Non enim alio affectu eum vniuersa luxit Lusitania, quam si communis omnium patens interijsset. Literatorum omnium fuit maximus fautor, ut qui literarum erat studiosus. Antistitis officium, & Sacerdotij munera ipse exercebat assidue, ut saepe sacri

sacri baptismatis fonte pueros lauaret, & Euchariæ sacramentum ægrotis per urbem ministra-
ret. Illius inuentum fuit, apud nos Christianam
doctrinam quotidie in ecclesijs pueris tradi: & eo-
rum nomina, qui sacro fonte lauarentur, eorum
etiam qui suscepissent libro inscribi . Deniq; au-
thoritate, familitij nobilitate, cultu domus, & ma-
iestate, Regem referebat, religione, pietate, & mi-
sericordia in pauperes Episcopum . Natus Ebore-
ræ XXXIII. die Aprilis anno MDIX. Obiit Oli-
sipone XXI die Aprilis anno MDXL. Sepelitur
in fano Berlemitico.

Henricum Cardinalem. Fuit hic primò Archie-
scopus Bracharensis, postea Eborensis, Tertiò
Olisiponensis, Quartò iterum Eborensis. Fuit etiam
legatus Summi Pontificis in fratribus & nepotis Re-
gnis. Postea gubernator & Regis tutor, postremò
Rex.

Eduardum, qui ducta Isabella Iacobi Brachan-
tiæ Ducis filia, fœmina laudatissima, & sublatissima
Maria, quæ Alexandro Farnesio Principi Pariné-
si nupsit , Catharina, quæ Ioanni Duci Brachan-
tiæ, luuenis decepsit etate XXV. annorum, relictæ
posthumo Eduardo Duce Vimaranensi, & Regni
Co.

DE VERA REGVM PORTVG.

Conestabili, Principe optimo, quem fata præmiturè nobis inuiderunt. Eduardus pater biduo a tequām moreretur, prædixit fratribus & amicis diem & horam sui obitus. Moritur Olisipone XX die Octobris anno M D XL. magno omniū desiderio, propter eius insitam bonitatem. Seplitur in fano Bethleemitico.

Mariam, quæ in cunis extincta est.

Antonium, à cuius partu mater in morbum incidit, ex quo nunquam conualuit. Infans autem paucos vixit dies.

Mortua Maria, duxit Leonoram Philippi Regis Castellæ & Archiducis Austriæ filiam, Caroli V. Imperatoris sororem, ex qua suscepit Carolum, qui natus Eboræ XVIII die Februarij anno M D XX. decessit Olisipone XV die Aprilis anno M D XXI.

Mariam Principem, forma, ingenio, & moribus ornatissimam, & tam Emmanuelis patris, quam Leonoræ matris hereditatibus locupletissimam: quæ celebs vixit, magno pudicitia, & honestatis exemplo. Vixit annos LVII. Deponitur in Parthenone Matris Dei, sepeliēda in cœnobio

Vir,

Virginis matris à Luce, ordinis militiae IEŚV
Christi in agro Olisiponensi, quarto ab urbe la-
pide: cuius templum suis sumptibus iussit aedifi-
cari.

Fuit Emmanuel inter felicissimos totius orbis
Principes numerandus. Nam præterquam, quod
ad Regni dignitatem præter ipsum electus est,
cedentibus illi plurimis, qui gradu & etate petio-
res eo erant, Castellæ etiam & Legionis principa-
tu inauguratus est, & omnes illarum prouincia-
rum proceres ad manus osculum admisit. Orié-
tis portas primus aperuit, & multa maioribus no-
stris incognita manifestauit. Æthiopiæ, Indiæ, &
Persidis partem non minimam, Malacam, Molu-
cos, Brasiliam, & innumeræ Oceanî Insulas antea
non repertas, ex quibus magnas habuit utilitates,
imperio suo adiecit. Multos Reges subegit, & tâ-
to maris & terræ spatio dissitus, tributarios, & ve-
ctigales reddidit: multos in clientelam & amici-
tiam suscepit. Babyloniæ Regis classes superauit.
Africanorum Regum vires ingentes, sæpe contu-
dit. Et vastam prouinciam Africæ Xerquiam, Ga-
rabiam, & Dabidam continentem, grati tributo-
rum onere injuncto, diu sub iugo tenuit. Azor-
moram, Safinium, & alias Mauritaniæ yrbes do-
bel

DE VERA REGVM PORTVG.

bellauit: alias deprædatus est: alias deleuit: Multorum Principum exercitus tam in India, quam in Africa fudit. Maximas auri, argenti, lapillorū, margaritarum, aromatum, & aliarum orientalium mercium diutias in Portugaliam inuexit. Olisiponem Regni metropolim, emporium totius orbis celeberrimum, & patriam communem omnium gentium reddidit. Classes ad longissimas nauigations instructissimas semper habuit.

Tanta vis auri suo tempore fuit, ut pretia rerū mallerit multi argento, aut ære, quam auro puro puto sibi solui, quod difficilis eius esset permutatio.

Iudeos ad Christi fidem conuertit. Sarracenos è Regno exterminauit. Religiones instaurauit. Plurima templa in Lusitania, & per subiectas prouincias in Africa, & Asia ædificauit, & pretiosissimis donarijs ornauit. In religiosos omnium ordinū liberalitatem exercuit. Christianam fidem per Æthiopiam, Indiam, & varias orbis partes propagauit: & ad eam conuersos mirè fouit. Infidelibus bellum semper intulit. Pauperes iuuit. Disuites exactiōibus, aut tributis nunquam vexauit. Populum in iustitia gubernauit. Optimas leges

leges tulit: latas in methodum & artem rededit.

Decimam, quæ ex emptionibus, venditionibus,
& alijs contractibus, fisco soluitur, clericis, mona-
chis, sacris virginibus, beneficiarijs, eremitis, &
militibus ordinis IESV Christi, religionis ergo
remisit.

Milites sacros, exceptis Hospitalensis ordinis
equitibus, perpetuæ castitatis voto constrictos,
Emmanuelis precibus, Alexander VI. Pótif. Max.
ab ea religione deinceps laxauit. Eos tamen exce-
pit, qui iam sacræ militiæ essent authorati.

A vino per totam vitam abstinuit. Oleum nū-
quam gustauit. Cibi parcissimus. Venationi, au-
cupio & musicæ deditus. Nunquam verò huius-
modi rebus tantum indulgebat, quin inter ipsos
ludos, aliquid negotij serij transigeret.

Magnam deniq; sui memoriam & desiderium
reliquit: & eius ætatem auream Lusitani semper
appellarunt. Ab eius enim excessu, omnia tristio-
ra, & in deterius ruere coepertunt.

Obiit Olisipone anno MD XXI. die XIII De-
cembris. Vixit annos LII. menses VI. dies XIII.

k R.

DE VERA REGVM PORTVG.

Regnauit annos XXVI.mensem vnum,dies XIX.
Sepelitur in augustissimo fano Bethleemito in-
stituti D. Hieronymi in Olisponensi agro,qua-
to ab vrbe lapide, quod ipse sibi & suis in scpu-
tarum, maximis sumptibus, ædificauit.

DE IOANNE III. REGE XV.



OANNES III. Emmanuelis
filius vxorem duxit Catharinam
filiam Philippi . I. Castellæ Regis,
& Archiducis Austriæ, Caroli V.
Imperatoris sororem, ex qua hos
fuscepit liberos :

Alfonsum, qui natus Almeirini XXIII die Fe-
bruarij anni MDXXVI. in cunis obijt.

Mariam, quæ nata Conimbricæ XV die Octo-
bris anni MDXXVII. PHILIPPO Hispaniarum
Principi Caroli V. Cæsaris filio nupsit, & à par-
tu primogeniti Principis obijt, anno MDXLV.
ætatis suæ anno XVII. mens. IX.

Isabellam, quæ nata Olisipone XXVIII die A-
prilis anni MDXXIX. puella obijt.

Bear

Beatricem, quæ nata Olisipone XV. die Februario anni MD XXX. in cunis obiit.

Emmanuelem, qui natus Albiti Kalendis Novembbris anni MD XXXI. triennis obiit.

Philippum, qui natus Eboræ XXV die Maii anni MD XXXIII. infans obiit.

Dionysium, qui natus Eboræ XXVI die Aprilis anni MD XXXV. infans obiit.

Ioannem, qui natus Eboræ III die Iunij anni MD XXXVII. Ioannam Caroli V. Imperatoris filiam duxit vxorem, & ex ea posthumum Sebastianum reliquit, qui auo successit in Regno. Obiit anno MD LIII. die II Januarij. Vixit annos XVI. menses VII.

Antonium, qui natus Olisipone IX die Martij anni MD XXXIX. infans moritur.

Illegitimum habuit Eduardum Archiepiscopū Bracharensi, iuuenem optimæ indolis, bonarū literarum, philosophiæ, & theologiæ studijs ap̄ primè eruditum, & omnibus corporis & animi dotibus ornatisimūm, qui in ipso ætatis flore deceſſit.

DE VERA REGVM PORTVG.

Fuit Ioannes statura mediocri, ad pinguedinem declinatae. Forma eximia, & specie vere Regia. Colore candido rubore suffuso, & in magna auctoritate aspectu tam amabili, ob serenitatem & tranquillitatem vultus, ut ab omnibus, qui eum intuebantur, tanquam parens diligeretur: nec hostes illum odisse possent. Oculos habuit ceruleos, nitidissimos, & tanta plenos maiestate, ut multi qui ad eius colloquium insoliti veniebant, hallucinarentur, & sermo eis deesset.

Fuit natura benignus & clemens Sententias capitales cunctabundè, & non nisi magno examine ferri voluit. Seueris iudicibus nunquam attrisit. Quando verò eius sententia in Senatu (quó semel in unaquaq; hebdomada ius dicturus ibat) rogatur, magis ab absoluendum, quam ad condemnandum propendebat. Cumq; aliotum Regum tempore lege lata, furibus minoris summae, stigmata in facie inureretur, ut ab eis caueretur, abrogauit. Dicebat enim, posse illos pœnitere, & ad laudabilem vitam traduci: & ob id iniquum esse, præcipuam hominis partem deformari, & antea etæ vitæ indicia perpetuò præse ferre.

Quæstiones publicas de fide in Portugalia haberi,

beri, primus à Summis Pontificibus impetravit, destinatis ad id magistratibus. Religiones instaurauit: & labentes quorūdam religiosorum mores ad veteris regulæ seueritatem reuocauit. Nascentem tunc ordinem societatis IESV in Portugaliā inuexit, ac eius religiosos valdē fouit: & diuersis Regni locis eis collegia instituit. Vnde illi acceptum ferendum est tātum animarum lucrū, quantum in India eius societatis viri Franciscus Xabierius, & qui eum secuti sunt fecerūt, & multi per diuersas orbis partes.

Fuit pacis studiosus, & in eligendis magistratibus cordatus. Multi enim post illius obitum, ad dignitates & honores prouecti sunt, quos ille non promouisset. In bneficijs cōferendis, ita liberalitas cius fuit ordinata, vt magis daret multis, quām multum.

Literarum studia in Portugalia excitauit: & Oliſiponensem Academiam Conimbricam trāstulit, vbi Dionysius Rex illā à principio locauit. Et ex residuis ditissimi cœnobij Sanctæ Crucis ad seueriorē vitam reformati, Doctorum stipēdia auxit. Florentissimam deniq; eam Academiam redidit. Ex qua tot, tamq; docti prodiere viri, vt
con-

DE VERA REGVM PORTVG.

continuato ordine (quod memoria dignum est) tres primarios Iuris Cæsarei professores, nobilissimæ totius Europæ Salmanticensi Academiæ dederit. Et qui post illos Conimbricæ in primaria cathedra floruit, & hodie in aula & supremo consilio Catholici Regis degit, tanta utriusq; iuris, & omnium literarum eruditione pollet, ut cuni quis veterum illorum Iurisconsultorum meritò conferri queat.

Multa edificauit magnis sumptibus: & aqueductum illum celebrem aquæ Argenteæ ciuitatis Eborensis, vetustate collapsum, restaurauit. Hanc olim aquam Q. Sertorius è manubijs belli Cetiberici, in honore municipū Eborensum, diuersis in vnum collectis fontibus, perducēdam curauit: opus magnum, & ei ciuitati sipienti utilissimum.

Obiit Olisipone apoplexia correptus, anno MD LVII. die XI Iunij. Vixit annos LV. Regnauit xxxv. cū dimidio. Sepelitur in fano Bethleemitaico.

DE SEBASTIANO REGE XVI.



SEBASTIANVS Ioannis III. ex filio Ioanne nepos, auo successit triū annorum ætate, sub tutela auiæ Cathar.

tharinæ. Hæc seu tam laboriosi oneris impatiēt,
seu (ut vulgò ferebatur) à nōnullis persuasa, quo-
rum intererat tutelam ad Henricum Cardinali
patrūm magnum Regis pueri transferri, Cimi-
tijs Olisipone habitis, anno MDLXI. ab eo mu-
nere inopinatò se excusauit, apud Regni proceres,
& ciuitatum legatos. Quum verò ij à proposito
Reginam, nec precibus, nec lachrymis flectere
possent, Henrico eam curam demandarunt: quam
ille usque ad Sebastiani pubertatem gessit. In quo
& Henrici austēritas, & Catharinæ prudētia per-
specta est. Malebat enim Lusitanî à fœmina, eaq;
externa, quām à viro Lusitano, defuncti fratre, &
Emmanuelis Regis populo gratioſissimi filio ḡt
bernari: diuerso exemplo ab eo, quod in Leono-
ra Eduardi Regis vxore, & Petro exhibitum est.

Fuit Sebastianus statura mediocri, colore cādi-
do, flavo capillito, oculis cæsi coloris, nec ma-
gnis, graui pro ætate aspectu, & Regiæ maiestatis
pleno: ad iracundiam facilis, spiritus elati, & cui
nihil videbatur magnum. Animi etiam intrepidi,
& plus nimiò sui fidentis & audacis, & qui facile
in pericula ruebat.

Fuit liberalis, gloriæ nominisq; cupidus: & ob
ine

DE VERA REGVM PORTVG.

ingenij simplicitatem, adulatoribus nimium expositus. Animi inquieti, & stare loco nescientis, non tam natura, quam arte aliquorum, qui eum à puerō ex vrbe, & auiæ colloquio abducere co[n]antes, in sylvas & montes, atq[ue] in loca solitaria frequentissimè ad venandum inuitabant, vt interīm ipsi Regnum administrarent. Eo enim exercitio dicebant, posse firnari, & obdurari ad militiam, ad quam illum quotidie adhortabantur.

A mulierū etiā aspectu & colloquio adeo auer-tebant, fortè ne libidine aliqua illicita irretiretur, vt sc̄eminas non tam fugere, quam odiſſe videtur. Vnde non obscurum ineptè verecundi inge[n]ij, & aulicæ vrbanitatis expertis specimen p[re]ſe ferebat. Multi autem, quibus ea non placebat institutio, propterea id ab ijs fieri interpretabantur, ne Princeps ille adolescens sc̄eminarum cogitatione, ad vxorem ducendam animum verteret, & eius conuersatione impeditus eos auersaretur, aut non tam intimè familiares haberet. Ut vt tam sit Sebastianus in illo Regali luxu, & ætatis seruore, rarum continentia dedit exemplum.

XIIII ætatis anno Regni gubernacula suscepit,
in cuius auspicijs consistorum culpa non sua, qui
ad

ad optimā natus videbatur, nonnulla duriter instituta, & Reipub. munia distributa ijs, quibus vir factus non dedisset.

• Ut autem transuersos agit homines auaritia, & ambitio, fuere, qui quod ita suis rationibus expedire credebant, Ioannem auum Principem prudenter, & pium, ut imbellem, & ignauæ pacis amatorem apud nepotem puerum insimularent: & qui pacem suadere debuerat, pacis detestatione eum educarent. Sebastianus igitur naturæ ferocioris, & spiritus vehementis, his preceptis enutritus, & alieniori ætate incitatus, nihil nisi bella, & peregrinationes meditabatur, quo tempore literarū doctrina, & studijs mansuetioribus exercēdus erat, & robustum illud peccus cicurandū, & emolliendum.

Cum igitur Portugalia tota in armorum exercitio esset, & Mulei Mahamet Marrochiorū Rex, à patruo Mulei Maluco Regno expulsus, Sebastiani præsidium imploraret, nactus ille occasiōnem, quam sibi dari optabat, non auxilium modò, sed & se cum suis affuturum illi pollicetur.

Dum itaq; virtute improvida, & nimia sui fiducia, prudentiorum consilia aspernatus, traicteo in

DE VERA REGVM TORTVG.

Africam magno exercitu, Fessense Regnum petit,
& Regem reducere conatur, anno MDLXXVIII.
quarto Augusti die, ab infinita Barbarorum mul-
titudine oppressus, qui veluti ad sacrum bellum
conuenerant, à suis sacerdotibus exciti, fortissimè
dimicans occubuit, cæsis decem millibus Christia-
norum, totidem captis. Et (quod rarò contigit)
tres magni Reges eo prælio, & intra paucarum
horarum spatium cecidere, Sebastianus, Malucus,
& Mahamer.

E prima nobilitate desiderati sunt Dux Auerié-
sis, Comites Odemirensis, Vimiosensis, Roton-
densis, Vidigerensis, Iacobus Theodosij Ducis
Brachantiæ filius. Rodericus Melius Marchionis
Ferreirensis primogenitus, Episcopi Conimbric-
ensis, & Portuensis : Marchio etiam quidam Hi-
bernus, quem Summus Pontifex cohortibus Ita-
licis, ad Hiberniam occupandam, prefecerat. Mul-
ti præterea alij magni nominis. Capti Antonius
Prior Cratenis Ludouici Infantis filius, Theodo-
sius Dux Barcellensis puer VIII annorum Ioānis
Ducis Brachantiæ primogenitus, Ioannes à Sylua
comes nunc Portalegrensis, qui tunc apud Seba-
stianum legatum Catholici Regis agebat. Nonius

Ale-

Aluarus Comes Tentugalensis, & Constantinus à Brachantia Marchionis Ferreirensis filij, Antonius à Castro Comes Monsanctensis, Fernandus Norogna Comes Linariensis, Eduardus Menesius Comes Taroucensis, Indiæ nunc Prorex, & multi illustri loco nati. Parendum enim necessitati erat, manus dandæ, & conditiones accipiēdæ. Faciliis namq; fuit Barbaris de nostris victoria, quos vinci numen volebat. Sic enim caligine mentibus eorum obducta, infatuati sunt, ut in interitum ducti à diuina voluntate videantur.

Itaq; Sebastianus hostibus bellum inferre parās, prius suis intulit, alienumq; Regnum restituere conatus, suum pessum dedit, & viris & opibus exhaustus: maiori exemplo fidelitatis Lusitanorū, quam prudentiæ.

Sebastiani cadauer secundo post prælium die, inter mortuos septem vulneribus confossum, à Sebastiano Resendio eius ministro domestico inuenitum, à Melchiore autē Amaralio Regio Consiliario, & Senatore aulico captiuo, qui in Sebastiani exercitu Duumuirum Capitalem agebat, agnatum est. Postea verò à Constantino à Brachantia, Fernando à Castro Comite Bastensi, Eduardo

DE VERA REGVM TORTVG.

Menesio Comite Tarouensi, Nonio Mascarena,
Michaele Norogna, Ludouico Cæsare armamen-
tariorum Regiorum Præfecto, Vincentio Fonsec-
ca instituti Dominicani, Regio concionatore, Ar-
chiepiscopo nunc Goensi, & alijs viris nobilibus
captiuis. Alcassere autem corpus sepultum, & sub
clave & sigillo custoditum, donec Regi PHILIPPO
auunculo à Seriphio Rege Marrochiorum dona-
tum, & Septam transmissum, atque ibidem de-
positū ad annum M D LXXXII. quo PHILIPPVS
Rex honorificentissimè in Portugaliam delatum,
in Bethleemitico fano sepeliri, & se præsente,
iusta illi fieri curauit. Vixit annos XXIII. men-
ses VII. dies XV.

DE HENRICO REGE XVII.

HENRICVS Cardinalis Sanctoru-
m Quatuor Coronatorum, & Archie-
piscopus Eborësis, Emmanuelis Re-
gis filius, Sebastiano cuius patruus
erat magnus, sine liberis decedenti successit.

Mortuo verò Sebastiano, Iurisprudentes viri
magni nominis extitere, qui PHILIPPO Regi Ca-
tholico Regni successionē delatam dicerēt, quod

Se-

Sebastiano proximus, & è Regum Portugalie
stirpe esset: nec id sine suo magno periculo ne-
gligi posse: quòd decedens superstite Henrico,
locum faceret Emmanueli Philiberto Sabaudiæ
Duci, qui gradu eius liberis præstaret. PHILIPPVS
tamen, ne auunculi senectutem contristaret, & in
dubio iure fundare suam causam videretur, qui
successionem indubitatam post Henrici excessum
habebat, non modò quietè illum regnare passus
est, sed nullum officij genus in eum prætermisit.
Primum enim Christophorum Mouram è pri-
ma Lusitanorum nobilitate, in aula tamen Ca-
stellæ enutritum, virum singulari prudentia præ-
ditum, postea verò Petrum Gironem Ducem
Ossunensem, vnum è Castellæ proceribus maio-
ris ditionis, non ad consolandum tantùm, sed &
ad gratulandum ad eum legauit.

Cum verò PHILIPPVS de iure suo certus esset,
Iurisprudentum responsis, & neminem sibi posse
Henrici morte præferri, quòd cæteris eius nepo-
tibus sexu, & ætate potior esset, Duci Ossunensi,
& Christophoro Mouræ iniungit, cum Henrico
agant, vt ipsum viuens Regem declaret: ne post
mortem de iure suo dubium oriatur, & ea evita-
ren-

DE VERA REGVM PORTVG.

rentur, quæ in Regno vacuo solent accidere. Henrico tamen visum est, satius esse, audire cæteros Regni competitores. Et ad causam successionis vocari iussit PHILIPPVM Regem Catholicum, Catharinam Ducis Brachantiz uxorem, Emmanuel Philibertum Sabaudiæ Ducem, & Antoniu Priorem Cratensein. PHILIPPVS verò, vt Regis omnium mortalium legibus soluti authoritatem supremam conseruaret illæsam, citationi non respondendū duxit. Rodericum tamen Vasquium ab Arze, & Ludouicum Molinam Regios Consiliarios, viros Iurisconsultissimos & prudentes, legatos tam Henricum, quam Regni proceres extra iudicium de iure suo instructuros misit. Hi in unus suum obeuntes, multa de iure PHILIPPI iuridicis rationibus, & magna autoritate, tam apud Regem, & Regium cōsilium, quam apud Senatū Olisiponensem tractarunt: quæ non patui fuere momenti, ad Regis & multorum animos confirmandos.

Cum verò Senatus populusq; Olisiponensis summa ope ab Henrico contenderet, vt Regem declararet, & Reipublicæ imminentि periculo in tempore occurreret, prius de personis, quam de iure agendum existimauit. Virtute igitur diplomatis,

matis, motu proprio, à Sūmo Pótifice ad sé missi, vt de causa matrimonij inter Ludouicum Infan- tem, & Violantem Antonij matrem iam fato fun- etos cognosceret, matrimonium inter illos non fuisse, & ob id Antonium non legitimè natum sententia sua, & multorum assessorum, Antonio ipso auditio, & iura sua allegante, iudicauit.

Cum igitur Henricus de iure PHILIPPI non iam dubitaret, eò rem deducere statuebat, vt vna via, tam vniuersæ Reipublicæ, quām priuatis nepotū commodis consuleret, & ad transactionis modum quemdam peruenirēt. Sic enim & PHILIPPVM Re- gno sibi debito non fraudandum, & cæterorum nepotum spem de Regno abreptam, aliquo emo- lumento pensandam: Rempublicam etiam tribu- torum onere aliquo leuandam, & priuilegijs au- gendam. Huic verò vniuersæ Reipub. vtilissimo præsentissimoq; consilio, seu priuatae suæ rei stu- dentes, seu rerum inscitia (si tam crassa & supina potuit esse) ij ipsi obstitere, qui se patriæ defen- sores esse iactabant.

Comitijs igitur Almeirini habitis, quibus Hé- ricus animum suum aperuit, magna inter popu- lorum legatos, & nonnullos è nobilium ordine
orta

DE VERA REGVM PORTVG.

orta est discordia. Quidam enim ex ijs, seu consiliij inopes; quod nulla politicæ philosophiæ, & historiarum peritia, ad Reipub. administrationē accessissent (quales plures sunt) seu propria illecti vtilitate, & rerum nouarum audi, in tam diueras iuere sententias, vt Henrici conatus impedi- rent, & ei fati diem accelerarent. Nec Ducas Ossu- nealis, & Christophori Mouræ diligentia & pol- litiones, qui in ea re egregiam operam na- uauerunt, & plures & meliores pro Rege Catho- lico habebant, in concordiam illos adducere po- tuerunt.

Præter has populorum discordias, tot accessere Henrico labores, vt illi Regnum non in gloriam, sed in pœnam datum videretur. Exagitabat enim illum tot hominū millia in Africana clade capti- uorum: pro quorū liberatione, non Regij ærarij modò, sed totius Regni opes erant exhausti. Alia parte tot viduarum querimoniae pro maritis bello percptis, vxorū pro viris, parérum pro li- beris captiuis. Hinc (quod magis eum premebat) de Regni successione disceptatio. Ex altera enim parte iusta nepotis PHILIPPI causa & potētia, ex al- tera Catharinæ neptis amor. Hinc de matrimonio

Lu-

Ludouici fratri diffamatio, & lis, quæ eum maximo affecit moerore. Valetudo præterea tam deplorata, ut lacte humano coactus fuerit ali, quod in marcorem, & marasnum incidisset. Alia ex parte eum torquebant seditiones, quæ iam erumpabant. His igitur, & pluribus, uno & eodem tempore, confluentibus malis obfessus atque debilitatus, fato concessit.

Fuit Henricus mediocri statura, colore candido, flavo capillamento, sed intempestiuè cano, oculis cæsijs & prominentibus. Facie nullus fratrum Emmanueli patri similior. Per omnem ætatem fuit vitæ castissimæ: nec ullum flagitium æquè exosum habuit, aut acrius puniuit, quam libidinem. Vnde manifestarij concubinatus coniuncti nulli impunes, cuiuscumque essent ordinis, aut conditionis. Nuptiarum etiam, quarum matriti diutius absuissent, curam non omisit, si de earum licentiori vita certior esset redditus.

Quo tempore pro Sebastiano nepote pupillo clauum Regni tenebat, leges recentiores dispersas, & iudicibus ob id ignotas, in methodum & libros redigi, & alias corruptas emendari curauit:

DE VERA REGVM PORTVG.

eaque in re nostra opera vsus est, magna Reipub:
vtilitate, quod multa quotidie decreta & iudicia,
noua lege comperta, rescinderentur, atque irrita
fierent, & rei iudicatæ authoritas eleuaretur.

In magistratus etiam cuiuscumque generis &
gradus quæstiones decreuit, & culpa deprehensos,
partim pecunia mulctauit, partim officio
submouit: nonnullos post aliquod interuallum,
ne ignominia missi viderentur, ætatis prætextu,
rude donauit. Omnes denique in officio con-
tinuit.

Sacerdotij officium optimè semper exerceuit,
& Rex factus, dum per valetudinem licuit, Mis-
se sacrum celebrauit in priuato facello, vt ante
Regnum sueuerat.

Religionis & fidei negotia, cuius summum
gescit magistratum, tanta industria & integritate
tractauit, conquisitis ad id viris optimis & do-
ctissimis, quorum opera vsus est, vt secundum
Deum, ei videatur acceptum ferendum, summum
religionis studium, quo Lusitania inter omnes
alias orbis prouincias eminet.

Per

Per vniuersum Portugaliæ Regnum, cuius omnes metropolitanas ecclesiæ gubernauit, sacerdotum mores composuit: nec nisi melioribus, & benemeritis sacerdotia contulit. Ad id autem collegium constituit Eboræ magnificentissimum & celebre, quod societatis IESV religiosis tradidit gubernandum: in quo non solum theologia, & liberales disciplinæ, sed honestissimi mores docentur. Vnde Transtagana illa prouincia, optimis & eruditis sacerdotibus abundat.

Multa præterea ab eo ad diuinum cultum optimè instituta omissimus, quæ magis ijs incumbunt, qui Pontificalium virorum vitas conscribunt, quam nobis, qui Regum gesta tantum delibamus.

Obiit Almeirini ultima Januarij die, qua & natus est, eo temporis spatio, quo luna maximam eclipsim patiebatur, anno M D LXXX. & ibi deponitur ad annum M DLXXXII. quo Rex PHILIPPVS eum in Bethleemiticum fanum deferrit, & sepeliri curauit. Vixit annos LXVIII. Regnauit annum. I. menses V. dies V.

DE VERA REGVM PORTVG.

DE PHILIPPO REGE XVIII.

HI L I P P V S Caroli V. Imperatoris filius, & Isabellæ Augustæ Emmanuelis Regis filiæ, auunculo Henrico successit. Quæ verò in amplissimis suæ ditionis Regnis gesserit, & eius virtutes silentio præterminus, quod hæ angustiæ, & nostræ orationis paupertas tantarum rerum maiestate reformidant. Quod ad successionem eius attinet, & in Portugaliam adventum: Elbam ciuitatem, quæ in confinijs Regnum est, ingreditur mense Decembri, anno M D LXXX. In Nabantiam nunc vulgo Tomarium omnium ordinum conuentus indicit. Mensa Aprili sequentis anni eo accessit, salutata prius Catharina consobrina Ducis Brachantiæ uxore, quam magni amoris significatione inuisit.

Tomarij maiorum instituto, à proceribus, sacerdotio, & populorum legatis, magna omnium legititia, & acclamationibus Rex inaugurator, & salutatur. Didaco etiam Principi, qui iam apud superos est, fidelitas iuratur.

Ex

Ex Tomario Olisiponem Regiam urbem veniens, mense Iunio die Diuis Petro & Paulo dicto, lætis faustisq; ominibus exceptus, omni ordine, omni ætate, prosperum fœlicemq; ingressum precante, & eum equo vectum, in triumphantis morem, pedibus sequente, sub aurea vmbella, per extemporarias porticus miræ magnitudinis, statuas & carminibus ornatas, introductus in urbem usque ad summum templum. Inde per vias virbis præcipuas, Indica & Persica gaza splendescentes, & pretiosissimis odoribus fragrantes, in Regiam deductus.

Multa hic magnificè & liberaliter gessit: & in eos, qui aliquid in superiorum Regum obsequiū egere, munera cōtulit maiora, quām ab illis Principibus accipi solebant.

In primis iustitiæ administrandæ gratia, multa cōstituit. Leges sanciuit: alias emendauit. E duobus tribunalibus, quæ Olisipone erant, alterum in Portuensem ciuitatem translulit, ibi q; iuridicum conuentum statuit. Senatorum vtriusq; Curiæ stipendia auxit, quo castè & nullius ope egentes, iustitiam administrarent. Muneribus etiam & honoribus benemeritos ornauit.

DE VERA REGVM PORTVG.

Cum verò viuente Rege Henrico, dum de declarando Rege agitur per Ducem Ossunensem, & Christophorum Mouram, multa PHILIPVS Rex promisisset, in vniuersæ Portugaliæ utilitatem, ut seditiones euitarentur, quarum iam pullulabant indicia, & Reipublicæ, quam maximè saluam voilebat, imminentibus malis obstaret, eaq; ob dissidentium partium studia accepta non fuissent, Rex postea factus sua sponte, & nulla impellente pactione, concessit.

Lætitiam Regiæ vrbis ob sui Regis præsentiam, auxit aduentus lororis Mariæ Augustæ, quæ cum è Boëmia in Hispaniam venisset, ut se virginum sacrarum monasterio abderet, non ferens longiorrem fratris absentiam, è Mantua Carpetana, vulgo Madriticio, Olisponem venit, eò omnibus gratior, quod nomine & virtutibus eximijs, foeminarum optimam Mariam Reginam auiam suam referebat, quæ admirabilem sui memoriam, & desiderium Lusitanis reliquerat.

Cum tamen ex omni Portugaliæ ditione, sola Angrensis ciuitas in insulis, quas Tertias vocant, PHILIPPO rebellis esset, quod in ea nonnulli An-

tonio affecti degerent, & loci situ inexpugnabilis videretur, classis eō missa est, è qua quadringenti milites Hispani temeratiè, vt loci ignari, egressi in terram, ab insulanis trucidati sunt. Quamobrem Aluarum Bazanum Sanctæ Crucis Marchionem, virum naualis belli peritissimum, Rex eō misit. Hic cum classem multarum nauium Gallicarum offendisset, quas Philippus Strozus Italus, vir bello strenuus ducbat, in quibus Antonius etiam ipse erat, & si numero multò plures essent, Bazanus virtute suorum militum, & quanto Lusitanarum nauium robore, sed magis causa & iustitia belli confisus, pugnam inire instituit. Antonius verò consilio suorum, se in insulam recepit, vt magis fieret periculi auditor, quam inspectator. Bazanus in Gallos inuehitur: magno ardore utrinq; certatum, tormentis primum, postea manu. Gallicarum verò nauium multæ, cum Hispanorum impetus ferre non possent, fumgam capesserunt, quas quia celeriores erant, Bazanus consequi non potuit. Nauis Prætoria cum alijs capta. Ex Gallis cecidere multi, inter quos Philippus Strozus classis Præfctus: Franciscus etiam à Portugalia Comes Vimiosensis, iuuenis dignus meliori fortuna, si corporis & animi dotibus

DE VERA REGVM PORTVG.

tibus & disciplinis, quibus præstabat, sinistris consilijs incitatus, aduersus suum Regem vius non fuisset. Capti sunt & multi è Gallica nobilitate. Cum verò autumni tempus iam instaret, nec vlla statio esset, qua classis consistere posset, & Oceani fluctibus iam tumescentibus iactaretur, ea obtenta victoria, & insulæ expugnatio-ne in sequentem annum omissa, Olisiponem Bazanus redijt.

Anno M D LXXXII I. mense Februario post Comitia Olisipone habita, quibus Philippo Principi puero fidelitas iuratur, constitutis Regni rebus PHILIPPVS cum sorore Castellam repeatit, magno omnium desiderio. Quod tamē Principis Alberti nepotis pignore mitigauit, quem Regni moderatorem reliquit, maxima omnium lætitia, & applausu.

Eodem anno appetente æstate, Bazanus in insulas redditum parat, ingenti comparata classe, tam nauium oneriarum, quam celocium & triremiū. Quod nauigij genus in tam longinquam Oceani partem, nunquam ductum est, quod nimium surgentes vndas non ferat. Insulam moderabatur tunc Emmanuel Syluius Antonij nomine:
tuta.

tutabatur verò Xatris Dynasta præsidio trium millium militum Gallorum. Ex insula igitur Sancti Michaëlis, quam primum Bazanus attigit, illis per nuntium veniam pollicetur, si dditionem facere velint. Cum verò pacis nullam conditionem acciperent, Bazanus acriter illis defendantibus, in terram desilit, & eadem die, magna contentione, propugnacula littori opposita expugnat. Sequenti verò insulani omnes in montem fugam arripiunt. Capta vrbe Angensi, tandem deditio facta est, ea lege, ut Galli solùm gladios secum ferrent, arma reliqua & vexilla relinquant. Emmanueli Syluio caput præcidi iubet Marchio. Multi præterea facinorosi vltimo suppicio affecti.

Faginea etiam insula, quæ præsidio Gallorum defendebatur, capta est à Petro Toletano eadem conditione. Præfectum autem insulæ Lusitanū, quod contra ius omnium gentium, legatum Lusitanici etiā sanguinis, qui ad eum de pace acturus ibat, crudeliter interfecisset, Toletanus laqueo suspendi iubet. Galli igitur superstites ex vtraque insula, relicts armis ac vexillis, discessere.

Hic

DE VERA REGVM PORTVG. GENERALI

Hic tragœdiæ illius fuit exitus, qualis manere solet illos, qui Regiam lædunt maiestatem, & auaritia & ambitione instigati, ab officio & virtutis via deflectuti. In eam tamen erigimur spem, Deum Opt. Max. has omnes ærumnas, quibus ab istis patriæ hostibus iactati fuimus, maxima felicitate compensaturum: ut copulata Lusitania cæteris Hispaniæ Regnis, sub potentissimo & prudentissimo Principe, vniuersus intelligat orbis, quantum Christianæ Reipublicæ intererat, hanc Regnorum coaceruacionem, & uitatem fieri, ad orthodoxyæ fidei propagationem, & ecclesiæ catholicae beneficium.



xx66

